DE
VESEGOTHARUM CUM ROMANIS CONFLICTIONIBUS POST MORTEM FL. THEODOSII I EXORTIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHISVALDENSI

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. MENS. FEBRUARII ANNI MDCCCLXI

H. XII L. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERTOLDUS VOLZ,

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AEM. MEIBAUER, REG. IUDIC. AUSC.
C. PANSCH, PHIL. DRD.
L. STREIT, PHIL. CAND.

GRYPHISVALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

ARNOLDO SCHAEFERO

SACRUM.

I.

Quae de re Romanorum militari et vectigali, quales sub finem quarti p. Chr. saecli fuissent, praemissa erant, omittuntur.

II.

Gothi una cum aliis eiusdem stirpis nationibus sedes, quas ad Vistulae ostium habuerant patrias circa secundi p. Chr. saecli finem reliquerunt plagis potituri magis frugiferis. Cum tamen ad Pontum euxinum iter porrexissent sedesque hic collocassent, mox eum in modum metuendi Romanis visi sunt, qui annuis gratificationibus honorarentur [1]).

Ex his C. Julius Maximinus legionum suffragiis principatum Romanorum adeptus est. Quo latum patet coniecturae spatium. Nam si Gothos Maximini interitu, ut qui ex ipsis fuisset, ipsos quoque commotos esse licitum est comprobare, magno sane opere rerum nexus dilucescit. Simulatque enim ille de medio sublatus est, bello Gothi pacem permutaverunt [2]). Legiones vero Maximini ad Danubium collocatae, quia in omnes, qui ab illius steterant partibus, acerrime consulebatur, de se metuentes, ne transirent barbari flumen, non prohibuerunt.

Primum quidem Gothi repelluntur [3]). Attamen cum magnam

---

1) Petri Patricii excerpt. d. legatt. ed. bonn. p. 124.

2) Capitolin. Maximus et Balbinus 16: Sub his — Scythici belli principium.

3) Capitolin. Gordianus tert. 26: quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit atque submovit. (Quos hostes, quod nomen ei datur (c. 34) victori Gothorum, Gothos fuisse coniiciendum est).

rex eorum Kniva ad Abritum peperisset victoriam, ad id Gothorum aucta est temeritas, ut singulis fere abhinc annis contra Romanos susciperent invasiones, quas per summa momenta Ammianus composuit[1]).

Novos quidam Gothorum gloriae potentiaeque auctor exstitit abnepos Ostrogothae Ermanricus. Testes sunt illae nationes a Jordane[2]) enumeratae — Heruli, Alani, Roxolani, Slavicae, Fennicae, Letticae gentes ad Rha usque Ocamque cis et trans volocanos montes habitantes — quas omnes ille in suam coegit ditionem vicinus Romanis mirum quam imminens[3]).

Nescio an, dum hisce expeditionibus occupatus erat rex, aut, quia ob immensam regni extensionem frena populorum erant laxata, facultas Vesegothis, qui ad id tempus uniti cum Ostrogothis fuerant, data sit seiungendi se horum ab societate. Constat[4]) enim Ermannico rege Ostrogothas et Vesegothas — Greutungos et Terwingos[5]) — eiusdem gentis populos[6]) fluvio dumtaxat Tyra seu Danastro, divisos contentione quadam in tantum sibi esse abalienatos, ut, cum prorupissent ex Oriente Hunni, cum gentilibus suis vires vel consilia, quibus prohiberent hostes, minime consociarent. Discussis vero Ostrogothis vel subactis victi victoresque in Vesegothas acri impetu feruntur, ac rumpente noctis tenebras luna Danastri vada transgressi Athanaricum, potentissimum Terwingorum iudicem, qui tutum se mole a Geraso inde fluvio ad Danubium usque exstructa habebat, amissis quibusdam suorum ad montium effugia properare coegerunt[7]) eandem ita sortem adeptum, quam quibusdam sui populi ante exactis imposuerat[8]).

Id imprimis hoc tempore agendum erat, ut mistio quaedam bar-

---

1) Am. M. XXXI, 5.

2) Jord. d. orig. Getar. 23.

3) Julianus *ἢ θεοκλυτῶν ἢ λογιζόμενος· Σκύθαι*, ait, *νῦν μὲν ἀτρεμοῦσιν· ἴσως δὲ οὐκ ἀτρεμήσουσιν* (Eunap. excerpt. d. sententiis, in Mülleri fr. hist. gr. IV p. 23.

4) Ex Jordane, cf. Köpke, Königth. b. d. Gothen p. 104.

5) De nominibus cf. Zeuss, d. Deutschen etc. p. 406 sq.

6) Discernenda sunt: populus Vesegotharum, gens Gothorum, natio Gothica (Ostrogothae, Vesegothae, Thaifali, Gepidae).

7) Amm. Marc. XXXI, 3.

8) V. quartam sequentis paginae notam.

bariei germanicae et nominis romani praepararetur. Neque erat quod id efficere posset, nisi religio christiana. Nam si cum Romani tum Germani perseverassent in paganitate, ad id non essent mitigati, ut mistioni illi via muniretur. Sed per captivos quos Gothi ex Asia praedabundi coegerant, notitia quaedam Christianismi eis est iniecta, quae aucta per relictos provinciae eis concessae Daciae incolas atque prae ceteris per Ulfilam paullatim partem populi haud mediocrem ad Christi traduxit fidem [1]). Qui conversi — Gothi minores dicti — cum ab Athanarico, qui maiore quam ceteri Vesegotharum reguli utebatur potentia, vexarentur, taedio quodam illius sunt repleti atque attenuati necessariorum penuria omnes eum deseruerunt [2]). Tum vero cum sibi quoque imminere viderent Hunnos, ubi habitarent, quaesiverunt, remoti tutique ab hostium superbia [3]). Quibus cum sane Thracia, cuius cum pristinis bellis tum nupera [4]) incursione satis compererant naturam, non displicuisset, utpote quae esset feracissima et fluvii amplitudine ab hostibus defensa, ex re visum est ad Valentem, quocum religionis vinclo erant coniuncti, mittere qui, ut susciperetur populus, peterent, ac susceptum pollicerentur daturum esse, quaecunque res flagitarent auxilia [5]).

---

1) Socrates, hist. eccl. IIII, 33. Cuius narrationem latine conversam exhibet Cassiodorus hist. tripartita VIII, 13 (ed. Migne Paris. p. 1118) et Isidorus chron. Gothorum (ap. Ronc. II, 415). Cf. Hieronym. chr. ad ann. 373.

2) Cf. Zeuss p. 411 not.

3) Amm. Marc. l. c.

4) anno 373 facta. Hieronym. chron. (Ronc. I, 514) ad ann. 373: „Athanaricus rex Gothorum in Christianos persecutione commota „plurimos interfecit et de propriis sedibus in Romanum solum ex„pellit."

Amm. Marc. XXX, 2: rem Romanam alius circumsteterat metus totius Gothiae, Thracias licentius perrumpentis — et idem XXX, 3 sequuto post haec anno Gratiano adscito in trabeae societatem Equitio consule — (qui erat annus 374): ergo incursio facta est 373. — In Cuspinianei anonymi chronico (Roncall. II, 120) consules anni 374 Gratianus tertium, Equitius, anni 375 Gratianus quartum, Equitius leguntur. Verum secundum Hieronymum, Cassiodorum al. Gratianus cum quartum consul esset, collega usus est Merobaude anno 377. Anni vero 375 desiderantur consules (cf. fasti consulares ap. Roncall. II, 577, al.).

5) Amm. XXXI, 4.

Concessit Valens, quae Gothi postulabant, propter aemulationem quam in fratris filios habebat[1]), tum etiam spe adactus, invictum illos sibi praestituros esse exercitum[2]) fiscoque incrementum haud contemnendum[3]), simul tamen absurdum esse intellegens abnuere aliquid precantibus, quod eisdem vi et armis flagitantibus omnino esset permittendum. Recipitur ergo cum armis[1]) multitudo Gothorum plane innumerabilis[4]), in qua bis centena millia virorum erant ad bellum aptorum et aetate florentium[5]), qui sive amici sive inimici, quae res tunc erant, omnia poterant vocare in discrimen.

Nec minus Ostrogothae ducibus Alatheo, Safrace, Farnobio, qui etiam Thaifalos ducebat, cum rege suo parvulo Witherico subsecuti, quamquam tunc quidem repulsam tulerant, post tempus aliquod ipsi quoque transierunt[6]).

Verum Athanaricus transgredi aspernatus in Caucalandensi i. e. montano loco cum comitibus suis Sarmatis inde extrusis sedes collocavit[7]).

Quamquam et alimenta pro tempore et agros tribui statuerat imperator, Gothi tamen, dum id fieret, permagnis aerumnis ac gravi penuria vexati proditione quam Romani contra Fritigernum et Alavivum, duces suos, moliti erant, ad id indignationis lacessiti sunt, ut arma arriperent, hic illic Romanos profligarent et circumvagi cuncta demolirentur. Quibus consociatae sunt Gothicae manus, quae sub Kolia et Suerido prope Hadrianopolin erant ad bellum Persicum collectae, et Greutungi illi ab Alatheo recti et Safrace

---

1) Eunap. excerpt. de legat. fr. 6. Recepti sunt igitur Gothi anno 376, cum Valentianus I apoplexi mortuus esse in castello Virgitione — seu Brigitione — a. d. XV. Kal. Dec. 375 indicetur (Descriptio consulum Idatio adscripta ap. Ronc. II, 94), atque Cassiodori chr. (Ronc. II, 212) eius mortem vel ad ann. 376 referat.

2) Suidas s. voce *πρόβολος* ex Eunapii hist. (fr. 43 p. 32 M.).

3) Amm. l. c. Socrates IIII, 34: (receptis Gothis) *τὸν δὲ συντελούμενον ἐκ τῶν ἐπαρχιῶν κατὰ κώμας στρατιώτην ἐξηγόρισεν* (Valens) *ὀγδοήκοντα χρυσίνους ὑπὲρ ἑκάστου στρατιώτου τοὺς συντελεστὰς ἐξαιτεῖσθαι κελεύσας.*

4) Amm.: infaustos transvehendi barbaram plebem ministros numerum plebis comprehendere calculo saepe tentantes conquievisse frustratos.

5) Eunap. l. c.

6) et 7) Amm. l. c. — Jord. 27.

aliique barbari, qui vel terram colebant vel hoc ipso tempore flumen transierant. Praeerat omnibus his copiis Fritigernus, Terwingorum iudex. Quibus de rebus gliscente fama Valens ex Oriente reversus, priusquam adessent Gratiani auxilia, descendit in aciem (a. d. V. Id. August.) [1]). Victus est exercitus Romanus, imperator concrematus. Superiores Gothi discesserunt et iam nemine obstante ad Constantinopolin vagi et ad Alpes Iulias [2]) multa loca vastaverunt, Thracias vero Daciamque ripensem „tanquam solo genitali potiti" coeperunt incolere [3]). Romani vero in Europa victi, quo flagrabant in Gothos furore, in nonnullis Asiae oppidis, quotcunque ibi erant, Gothos truculenta et dolosa iugulaverunt caede [4]). Nec minus per annum sequentem a Theodosio [5]) hic illic victi sunt Gothi.

Illa quam dixi Ostrogotharum et Vesegotharum coniunctio non ita multo post soluta est. Hi enim Epirum, Thessaliam, Achaiam petierunt, illi vero super Istrum regressi in Pannoniam sunt conversi [6]). Quorum vice Athanarici copiae e sedibus a Gothis quibusdam [7]) exactae popularibus auxilium praestiterunt. Quem in modum cum auctae essent barbarorum opes, vi et armis ut devinceret eas Theodosius ut ante tunc non poterat fieri. Foedere [8]) ergo et amicitia eos sibi maluit conciliare, invitavitque Athanaricum, ut Constantinopolim accederet. Sed is eodem quo venerat mense defunctus est a. d. VIII Kal. Febr. 381 [9]).

Quo factum est Fritigerno quoque circa idem tempus mortuo [10]), ut Gothi capite quo in unum coniuncti tenerentur, omnino carentes atque ipsi alienis populis — Thaifalis, Alanis, Hunnis — misti

---

1) Descr. coss. Idat. adscr. ad ann. 378. (Roncall. II, 94).

2) Amm. M. XXXI, 16, 4 sq. — Jord. 26.

3) Jord. 26. — Descr. coss. Idat. ads. l. c.

4) Amm. Marc. l. c.

5) Desc. coss. Idat. adscr. ad ann. 379. Zos. IIII, 25. Prosperi Aquitan. chron. ad ann. 379.

6) Jord. 27.

7) Amm. Marc. XXVII, 5.

8) Socrates V, 10. — Orosius VII, 34. — Marcellini Comit. chron. (Ronc. II, 268). Quod Jordanis (de orig. c. 28) servitium dicit.

9) Descr. coss. Idat. adscr. (Ronc. II, 94 sq.) — Jord. 28.

10) Cf. Koepke p. 116.

ducibus inter se discordibus et ex simultate infensis factionibus scinderentur.

Quo in Gothorum discidio etiam post Athanarici mortem pars populi permagna ab Romanis stetit [1]), donec a. d. V Non. Octobr. Antonio et Syagrio coss. (382) „universa gens cum rege suo [2]) in Romaniam se tradiderunt [3]).“ Renovatur illa dudum sub Constantino [4]) principe instituta foederatorum militia, danturque sedes in Moesia et Dacia colendae [5]). Explent abhinc Gothi, qualiacumque sunt officia et munera. Praesunt exercitibus, creantur consules, in omni fere familia ministrant.

Ostrogotharum vero agnima post paucos annos tribus millibus lintrum Istrum iterum transire ausa navali proelio medio in flumine commisso sunt repulsa [6]).

Quotus quisque est qui non putet, iamiam Gothorum gentem a Romanis absorptum iri; permultum tamen abfuit, ut cum eis coalesceret. Aderat enim factio haud parva barbarorum quae nihil aliud agebat, nisi ut reiecto illo foedere Romano [7]) rerum ipsa potiretur [8]); id quod eo maioris momenti erat, cum ipsa Ariana cum Arianis imperii conspiraret. Verum enimvero neque Romanos fugit, quantum peri-

---

1) Vide infra septimam notam.

2) Qui rex? Sunt qui Alaricum hunc esse opinentur quem 28 annos (382—410) Isidorus in chronico Vesegotharum dicit regnasse. Sed idem a Gothis patrimonium Romani foederis recusantibus eum regem esse constitutum ad eundem refert annum. Itaque equidem respecto Eunapio (exc. de legat. fragm. 7) et Zosimo (IIII, 56, 5) pro „rege suo“ scribere malim „regibus“ (sc. Fravita et Eriulfus). Nam quamquam Eriulfus Gothorum parti ut ita dicam antiromanae praeerat, tamen is quoque in foederatorum erat numero.

3) Descr. conss. Idat. adscr. — Isidori chr. Gothorum. — Idatii chr. — Marcell. Com. chr.

4) Jord. 28.

5) Zosim. IIII, 34 fin.

6) Zosim. IIII, 35. — Claudian. in IIII cons. Hon. 623 sq. — Idatii chr. Theod. 7. — cf. Zeuss p. 420.

7) Zosim. IIII, 56, 4. — Eunap. exc. d. legat. fragm. 7: *οἱ δὲ πολλοὶ καὶ δυνατώτεροι τῶν δεδογμένων ἐξ ἀρχῆς ἀπρὶξ εἴχοντο καὶ πρὸς τὴν ωδῖνα τῆς ἐπιβουλῆς σφαδάζοντες ἐμεμήνεσαν.*

8) Zosim. IIII, 30.

culi vel servata Gothorum amicitia sibi immineret. quantoque sibi esset commodo deminutio eorum [1]).

Ita inimicitia populorum profecta de originis diversitate, alta est et aucta differentia confessionis et controversiis, quae ipsam tunc rem Romanam agitabant, atque cum indoles Gothorum ingenita nequaquam exstingueretur, quod in solo Romano peregrinati erant, institutionis vice eis fuit, qua accincti adversarii expertiores eoque acriores Romanis evaserunt. Tantummodo

Dux opus est acris, populos qui cogat in unum,
Qui male concordes iungat ad arma manus.

III.

Theodosium quamdiu in vivis erat, pietate quadam barbari prosequebantur, et artibus eius consiliisque plane callidis adacti foedus pacemque servabant. Verum Theodosio defuncto nonne timendum erat, ne barbaris novos imperator eundem in modum pie colendus non videretur? Ne eam ob causam dissolveretur foedus? Ne barbarorum partes haud diutius distentae tunc in gravem rei Romanae perniciem confluerent? — Sane erat; atque mox apparuit neque inanem nec nimium eum metum fuisse. Namque non solum Theodosium imperatores exceperunt imbecilli et inertes, atque Gothis dux exstitit, qui distractos congregavit, sed etiam simultas quaedam imperatorum vel potius ministrorum [2]) ad id utrumque agitavit imperium, ut qui hostis huic evasisset, ei persaepe ab altero subsidium suppeditaretur qualibetve alia ratione faveretur [3]).

Theodosius cum contra Eugenium pugnaturus Constantinopoli decederet, filiorum curam Orientis praefecto Rufino, viro Gallo versutissimo, commendarat. Post vero Mediolani invaletudine hydropis [4]) moribundus imperium Romanum filiis suis communiter gubernandum divisis tantum sedibus [5]) commisit. Nam quaedam

---

1) Zosim. IIII, 57, 1. — Oros. VII, 35: quos (Gothos) utique perdidisse lucrum et vinci fuit vincere. — Claud. in VI. cons. Hon. 222.

2) Eunap. exc. de sent. fragm. 52.

3) Claudian. de bell. Getico 565. — Id. in Rufin. II, 235.

4) Idat. chr. Theod. 17. — Philostorg. h. eccl. XI, 2: *δι᾽ ὧν ἑάλω καὶ τῷ τοῦ ὑδέρου νοσήματι.*

5) Hist. miscell. XIII p. 90 (ed. Muratori Mail. t. I). — Jorda-

videbatur diversitatis ratio esse habenda, quae inter Graecam et Romanam intercedebat nationes. Moribus enim et linguis mirum quam distinguebantur, nec minus ecclesiarum et doctrina et constitutione aliquatenus coepti sunt segregari. Arcadio Oriens, Occidens Honorio, quem ad se arcessiverat [1]), obvenit. Attamen ob iuvenilem utriusque aetatem Stiliconem de regia Vandalorum stirpe ortum instituit tutorem [2]). Quod putaverim ita esse intellegendum, ut licet administrandae reip. cura Stiliconem inter et Rufinum esset dispertita [3]), tamen summa rerum in Stiliconis fidem commissa fuerit [4]), quo ad detrimentum divisionis quodam modo resarciendum coniungerentur consilia. Qua ultima Theodosii voluntate, quam secreto colloquio ei aperuerat [5]), Stilico nisus etiam Arcadii curationem numquam sibi desiit affectare [6]). De tota tunc imperatoria maiestate nihil filiis Theodosii relictum fere erat praeter nomen. Nam omnem potestatem in manibus habebant rectores [7]) indole ac natura satis diversi.

Itaque postquam Theodosius a. d. XVI Kal. Febr. Olybrio et Probino coss. [8]) diem obiit supremum, Stilico quam nactus erat potentiam in pacandis Alamannis et Francis aliisque populis [9]) deleniendis exercebat, Rufinus vero e contrario cum cis Danubium barbaros arcessivit, aliisque reseravit Caspia claustra [10]), ut hinc ad Orontem usque flumen effunderentur, tum ut Gothorum gliscens seditio exardesceret donis, quae accipere consueverant, subtra-

---

nes, de breviat. chronic. p. 238 (Murat. I) al. — Roma et Constantinopolis iam ex Constantini tempore suo utraque praefecto urbi et senatu utebatur.

1) Ita Claudian. in III cons. Hon. 73 sq. — Sozomenus VII, 24 et 29. — Philostorg. XI, 2. — Una profectos esse Zosim. IIII, 58, 1 et Marc. chr.

2) Olympiodor. p. 448: *(Στελίχων) καταστὰς ἐπίτροπος τῶν παίδων Ἀρκαδίου καὶ Ὁνωρίου ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πατρὸς αὐτῶν Θεοδοσίου.*

3) Orosius VII, 37. — Hist. misc. l. c.

4) Claudianus in Ruf. II, 4 sq. — Id. de IIII Hon. cons. 432.

5) Claud. de III Hon. cons. 142 sq.

6) Zosim. V, 4, 6.

7) Philostorg. XI, 3. — Zosim. V, 1, 1.

8) Socrates V, 26.

9) Claudianus de IIII cons. Honor. 446—454. — Id. de laudibus Stil. I, 220—224.

10) Claudian. in Ruf. I, 308 et II, 23—38. — Sozom VIII, 1. — Socrates VI, 1.

ctis [1]), auctor fuit. Neque enim, cum imperatoris matrimonio — a. d. V Kal. Maias [2]) — labefactatam quam habebat auctoritatem videret, et se tyrannidem affectare [3]) ferretur suspicio, ullam ratus est sibi esse salutem nisi omnibus rebus utique perturbatis [4]).

Gothi muneribus sibi subductis irati ac pacis, utpote qua resolveretur fortitudo, fastidiosi [5]) arripere arma, ordinare super se regem Alaricum, ac praeda potiri

omni quae mobile Ponti
Aequor et Hadriacas tellure interiacet undas [6]).

Is Alaricus oriundus ex insula Peuce, quae sita est in Istri [7]) ostio [8]), ob egregiam audaciam baltha i. e. audax nominatus ideoque Baltharum regiae familiae addictus est. Hinc est, quod Jordanis [9]) eius ex Baltharum genere originem „mirificam" (merkwürdig) nuncupatur. Nam si per sanguinem ad eam familiam origo potuisset referri, quid tandem habuisset mirifici [10]) ?

---

1) Jord. 29.

2) Chron. Alexandrin. ad ann. 395.

3) Zosim. V, 7, 2. — Oros. VII, 37. — Claud. in Ruf. II, 295. — Sozom. l. c. — Socrat. l. c. — Eunapius Frgm. bei Suidas: v. *Ῥουφ. καὶ τὴν βασιλείαν ἑαυτῷ μνᾶσθαι Ῥ. ὠνειροπόλει.*

4) Zosimus V, 7, 2. — Claud. in Ruf. II, 138. — Oros. VII, 37: ut rebus repente turbatis necessitas reip. scelus ambitus tegeret, gentes barbaras ille (Rufinus) immisit.

5) Jordan. 29.

6) Claudian. in Ruf. II, 38.

7) Simonis, Versuch einer Geschichte des Alarich, Göttingen 1858, p. 8. ideo Alaricum Danubium ut deum adorasse dicit argumenti vice Claudiano (de bell. Getic. 521 sq.) citato:

Si non mentis inops fraudataque sensibus aetas
Praeberet veniam, numquam haec opprobria linguae
Turpia Danubius me sospite ferret inultus.

Verum quae senex ante hos versus non contra Danubium sed contra Alarici temeritatem peroravit, ex eis satis liquet Danubium hic pro accolis Danubii — Gothis — dictum esse.

8) Claudian. de IIII cons. Hon. 630. — Jord. 15.

9) Jord. 29.

10) Non intellego, quo iure Aschbach Gesch. der Westgothen p. 66, not. Jordanem anticipasse arguat, cum coacta eius interpretatione opus non esse videatur. Quo concesso futile etiam putandum est illud Aschbacheum Alaricum familiae Baltharum anctorem fuisse. — Tillemont, hist. des empereurs rom. Honoré 16: Al. était de la famille des Balthes et les Gots

Ita in eam adoptatus familiam, cui, ex quo sedes ad Pontum collocaverant, Vesegothae serviebant [1]), mox ad quandam auctoritatem provectus est. Bello gloriam auxit. Etiam contra Theodosium ad Hebrum flumen proeliatus est [2]) — anno 379 [3]) — post vero pace facta in foederatorum fuit numero [4]). Sub tempus Eugenianae rebellionis copiis quibusdam barbaris a Theodosio praefectus est [5]), quibuscum proelio ad Frigidum flumen commisso interfuit. Omnino Theodosius contra Eugenium plus quam XX millia Gothorum eduxit [6]), quorum X millia cecidisse feruntur [7]).

Theodosio vero defuncto Alaricus cum militum se copiis haud praefici sed eos dumtaxat habere barbaros, quos Theodosius ei tradiderat, permoleste ferret, seditiosum se praestitit atque rerum novarum cupidum [8]). Quo quidem animo irritato ut Romanis abalienatus est, ita cum popularibus suis, illis non minus infensis, hoc ipso tempore coniunctus.

Hunc ergo Alaricum Vesegothae in scutum sustulerunt [9]) respe-

---

lui avaient particulièrement donné le surnom de Balt. Idem Zeuss p. 416, not. — Contr. Koepke 122.

1) Jord. 5.

2) Koepke p. 121.

3) Claud. VI con. H. 107.

4) Socrat. VII, 10: *Ἀλάριχός τις βάρβαρος ὑπόσπονδος ὢν Ῥωμαίοις.*

5) Zosim. V, 5. 5. — Socr. l. l.

6) Jord. 28.

7) Oros. VII, 35.

8) Zosim. V, 5, 5: *στασιάζοντα καὶ ἀλλοτριώσαντα τῶν νόμων ἑαυτόν.*

9) Gibbon history of the decline ch. 30 id post graecam expeditionem factum esse — non lego quibus nisus sit causis — dicit. — Jordanis quidem de orig. Get. c. 29: Alaricum a Gothis regem esse creatum ante expeditionem Italicam narrat nullo certiore temporis termino adiecto. Sed idem Jordanis de brev. chr. p. 238 habet a Rufino Alaricum Gothorum regem, ut Graecias vastaret, esse invitatum. Unde coniiciendum videtur Jordanem quidem censuisse illam creationem ante expeditionem Graecam esse effectam. Marcellinus quoque in chron. ad a. 395 Gothorum regem eum appellat; Olympiodorus vero p. 448 *τῶν Γότθων φύλαρχον* — id quod non repugnat. — Isidorus in chron. regum Vesegotharum:

> „Era 400 in Gothis primus rex Athanaricus. Post hunc Alaricus. — Ille regnavit annos 13, hic 28." (ergo 382—410.)

Satis apparet Isidorum, quem Pagius sequitur (crit. annalium Bar. ad an. 403) de ea sola causa 28 annos regnasse Alaricum dicere, ne sit vacuum quid in regum serie (Koepke 124). Nam 381 mortuus est Athanaricus. Sed inse-

ctis non minus familia eius quam virtute. Est enim Germanorum, cum principe suo mortuo successorem sibi creant, comprobato quodam affinitatis iure haud facile decedere de mortui familia. Quod vero sanguinis Baltharum in Alarico desiderabatur, id adoptione satis videbatur exaequatum.

Ad quem Alaricus finem, quaecunque agebat, voluerit coaptare, hisce nobis Jordanis praeclare ab eo dictis asservavit: „suasit suo labore quaerere regna quam alienis per otium subiacere“[1]). Quae quamvis magnifice utique et apte dixerit Alaricus, tamen in eo ipse postea falsus est, quod Romanis rebatur adimendas esse pro populo suo sedes atque contra eos infesto quodam modo obtinendas. Nam nisi necessitate quadam cum Romanis coeunda Gothorum condi non poterat respublica. Id quod Ataulfum nequaquam fugit, a cuius inde temporibus revera idcirco foedus romanum cardo est rerum Vesegotharum. Quae omnino barbariei et nominis romani temperatio quanto iustior erat atque undique aequior, tanto regnorum Germanorum amplificavit et vigorem et diuturnitatem.

Non totius quidem Vesegotharum populi Alaricus rex factus est, sed potioris eorum dumtaxat partis. Nam multi vel in fide officioque Romanorum permanserunt vel ab neutra steterunt parte. Quorum cum vestigia rerum cursu obruerentur, qui retento populari contra Romanos discidio ad Alarici se contulerunt auctoritatem, ei de multis compacti fragmentis super terram romanam per tria paene lustra passim dispersis ab hoc inde tempore populus sunt Vesegotharum.

Simulatque Gothis praefuit Alaricus, alia plane ratione gestum est bellum contra Romanos inchoatum. Fine imposito populationibus nullo ordine vel consilio editis, ad Constantinopolin, utpote qua expugnata totum Orientem in suam cessurum esse potestatem persuasum haberet, cum exercitu iter porrexit. Non erat, qui obstaret. Nam qui tunc erant seditiosi, eorundem magna pars ad id Romanis fecerat stipendia; et pleraeque Orientis copiae nondum

---

quenti anno pax cum Romanis est facta, qua durante communi capite caruerunt Gothi. Isidori opinio eo quoque labefactatur, quod Claudianus de calida Alarici iuventa (ad annum 402) loquitur — de bell. Get. 498:

quoniam calidae rapuit te flamma iuventae.

1) Jordan. 29.

de expeditione Eugeniana erant reversae. Obsidet urbem Alaricus et quantis potuit eam afficit miseriis[1]). Sed brevi apparuit contra urbem muris munimentisque aptissime firmatam neque nisi artificio quodam et scientia oppugnationis expugnandam nihil valere barbarorum impetum eius rei utique imperitorum. Quod cum intellexisset Alaricus, aures praebuit Rufino, qui barbarorum sibi studia affectabat Gothum sese vel habitu vestituque assimulans[2]). Quo periculum, quod sibi consiliisque suis immineret hoste placito propiore, averteret, quam apud Alaricum adeptus est gratiam, in id impendit, ut ei secreto persuaderet, ut derelicta urbe cum suo exercitu[3]) procederet in Graeciam[4]). Cui adhortationi datis insuper clam pecuniis[5]) Alaricus obsecutus est. Ita Graecia intacta saeculo diutius inimicitiis barbaris per perfidum Orientis arbitrum, qui praefectos militiae Graecae cum hostibus obstare tum vel quae commoda in locorum natura erant, in defendendam terram apte convertere vetuerat[6]), data est Gothis in praedam.

Quo cum Alaricus copias suas duxisset ac totus esset in terra sibi subigenda: Stilico Rheno pacato milites orientalis imperii, qui contra Eugenium stipendia fecerant, reducere statuit et opem navaturus Arcadii miseriis et suam de Oriente auctoritatem stabiliturus. Quem advenire Rufinus cum certior factus esset, timore percussus ne consilia quae machinabatur, detegerentur, atque obtrectatorem sibi esse parsurum prorsus desperans, non longiorem sibi fore vitae usuram intellexit illo dierum numero, quos in itinere consumturus erat Stilico, quippe qui post partam victoriam pacem cum barbaris esset facturus sed ulturus idem ipsius perfidiam[7]). Itaque imperatorem precibus et minis, ut sibi succurreret, fatigavit[8]), et stupente porro principe ac dissimulante se aliquid audisse aut intellexisse, consilium ex re capit, dictatque velut iussu prin-

---

1) Claud. in Rufin. II, 54—72.

2) Claud. in Rufin. II, 78.

3) Zosim. V, 5, 5.

4) et 5) Marcellin. Com. chron. — Jordanis de brev. chron. (Murator. I, p. 238).

6) Zosim. V, 5, 4.

7) Claudianus in Ruf. II, 130 sq.

8) id. l. c. 144—169.

cipis ad Stiliconem literas reditum mandantes. Quas Stilico in Thessalia[1]) accepit, quo cum exercitu iter intenderat.

Inter equos interque tubas mandata feruntur Regia.
Obstupuit. Simul ira virum, simul obruit ingens Moeror.
dubios anceps sententia volvit Eventus[2]).
Sed praeceptis obstare timet.

Pietas familiae atque principis reverentia virtutis fregerunt stimulos[3]). Reversus est ante, sicut erat iussus[4]), ablegatis Constantinopolin copiis. Sed consentiens iam cum Eutropio[5]) et Gaina, militum duce, quae essent in Rufinum agenda, composuit.

Ita factum est, ut Rufinus redeunti obvius exercitu in loco, qui Tribunalium[6]) dicitur, a. d. V. Kal. Dec. 395[7]) ante imperatoris pedes occideretur[8]). Incitatos esse ad id milites cum Stiliconis iussu tum quia ludibrio Rufinus eos habebat, quod Stilico viribus exhaustos homines et reiiculos retentis sibi robustissimis quibusque in Orientem remissiset[9]), Phistorgius[10]) solus est auctor. Ceteri vero scriptores suspicione regni a Rufino concupiti compulsos esse narrant ad eius caedem milites. Summa vero illa Rufini auctoritas sacri palatii cubiculario[11]) cessit Eutropio spadoni, cui post consulatus obvenit atque Patricii decus[12]).

---

1) id. l. c. 179 et 278.

2) id. l. c. 195 sq.

3) Claudian. in Rufin. II, 202. — id. de laudd. Stil. II, 96.

4) Claud. in Rufin. II, 161.

5) Zosim. V, 8, 2.

6) Chron. alexand. (ed. Rader 1615) p. 710 et 711.

7) Socrat. VI, 1. — al.

8) Zosim. V, 7, 8—12. — Claud. in Ruf. II, 101—440. — Socrat. VI, 1. — Sozom. VIII, 1. — Philost. XI, 3. — Marcellin. Com. chron.

9) Zosim. V, 4, 4.

10) Phil. XI, 3: *διότι μυκτηρίζων αὐτοὺς ἐπεφώρατο.*

11) De dignitate cf. Notit. Dignit. ed. Böcking. Bonn. 1839, t. I, 36 et adnotat. p. 232 sq.

12) Sozom: VIII, 7: *ὑπάτου καὶ πατρὸς βασιλέως ἀξίᾳ ἐτιμήθη.*
Claud. in Eutrop. II, 68:
Praesidium legum, genitorque vocatur
Principis —
id. in Eutrop. II, prol. 50:
Non aliter poteras principis esse pater.

IIII.

Stilico ubi primum orientem versus duxit, non Rufino tantum sed non minus Alarico quoque iniecit terrorem. Qui cum in Graeciam, sicuti cum Rufino conventum erat, perfectus iam in Thessaliam turbis incolarum ad Penei ostium repugnare periclitatorum discussis[1]) manus suas deduxisset, nuntius affertur Alpes Stiliconem cum exercitu esse transgressum. Qua fama in terrorem haud mediocrem coniectus copias suas ad id tempus pro libitu errare solitas in praesidium quoddam coegit, quod ex ritu Germanorum plaustris fecerat coriis bubulis obductis et in muri speciem obtentis. Circumstruxit vallum magnae altitudinis et fossam duxit duplicem atque totum opus sudibus acutis decussatim impactis haud inepte communivit[2]).

Quem in modum cum ad defensionem se instruxisset, Stiliconem mansit. Qui ubi hostibus satis se appropinquasse habuit compertum, minime invadere eos haesitavit. Verba facit apud milites, disponit ordines, instruit aciem. Undare dracones, pulveris extolli nimbi, resultare de Olympo ceterisque illis famosis montibus equorum ac tubarum fragor, intumescere militum virtus[3]); dux armatus oculis aciem obire illam incipi iussurus pugnam, in qua fortuna

---

id. in Eutrop. I, 109: Patricius.

Zosim, V, 17, 6: *Εὐ. ὥστε καὶ εἰς ὑπάτους ἀναρρηθῆναι καὶ τῷ χρόνῳ φέρεσθαι τὴν τούτου προσηγορίαν καὶ τιμηθῆναι τῇ τῶν πατρικίων ἀξίᾳ.*

Philost. XI, 4: *πατὴρ ὁ Εὐνοῦχος βασιλέως ὁ μηδὲ τὸν τυχόντα παῖδα φῦναι δυνάμενος.*

Patricio et Patri imperatoris eundem esse sensum, ex eo apparet, quod promiscue alterutra exhibetur vox. Creavit dignitatem Constantinus (Zosim II, 40, 3).

1) Socrates VII, 10.

Hist. misc. XIII, p. 91: habita congressione circa fluvium Pinum — Uterque auctor porro narrant, hinc in Epirum Alaricum venisse et proelio ad Nicopolim Epiri commisso tria millia suorum perdidisse. Ea crediderim in reditum Alarici de Graecia spectare. De ipsa vero expeditione Graeca neuter quidquam habet.

2) Claudianus in Rufin. II, 124—129.

3) id. l. c. 171—185.

proximorum lustrorum disceptabat[1]). Quo in ultimi discriminis momento Stiliconi illae, quas supra memoravi, Rufini traduntur literae quam velocissime allatae. Nam cum Rufinus omnino eius adventum perhorresceret, quanto maiorem is iniecturus esse putandus erat terrorem victoriae parta palma Gothicae!

Mediis Stilico revocatur ab armis, strictos cogitur deponere enses, atque milites dimittere ipsi mox Rufino interitum paraturos. Ipse vero cum reliquis copiis „infames scopulos Acroceraunia" superavit et per Illyricum domum reduxit agmina. Sed insequenti iam anno ex ipso itinere naves conscendere iussus est et contra barbaros iterare bellum.

Namque Alaricus illo periculo, in quod Stilico eum adduxerat, Rufini epistula exemtus in Hellada processit[2]). Quaevis obvia excidio sunt data. — Ubi vero ad Thermopylas ventum est, per quas sola in illam via est eaque duobus locis ad unius currus latitudinem contracta[3]), Gerontium quendam cum praesidio ibi adesse refertur. Sed illico ab Alarico de adventu is certius factus praesidiarios abduxit, uti ab Rufino iussus erat, transitumque liberum omni semoto impedimento barbaris in Graeciam aperuit[4]). Illum enim Gerontium Rufinus custodiae Thermopylarum et Antiochum quendam Graecum pro consule rebus Graeciae praefecerat — utrumque nequiorem quam vel ipse cuperet[5]).

Gothi porro ad agros nullo negotio diripiendos et delendas penitus urbes progrediuntur. Quidquid virile erat, interimunt, foeminas vero impuberesque gregatim abigunt. Boeotia tota ceteraeque per quas venerunt regiones tristes exhibebant ruinas. Soli Thebani discrimen evaserunt, quia Alaricus iure maximum pollere Athenarum ratus possessionem oppugnandis Thebis conterere noluit

---

1) id. l. c. 192:

Illa dies potuit nostris imponere finem
Cladibus et sceleris causas auferre futuri.

2) Expeditionem Graecam narrat Zosimus V, 5, 6 — V, 7, 4.

3) Herodot. VII, 176.

4) Eunap. in vita Maximi (ed. Commelin. 1616) p. 75: *'A. διὰ τῶν πυλῶν παρῆλθεν ὥσπερ διὰ σταδίου καὶ ἱπποκρότου πεδίου τρέχων· — — τοιαύτας αὐτῷ τὰς πύλας ἀπέδειξε τῆς Ἑλλάδος ἥτε τῶν τὰ φαιὰ ἱμάτια ἐχόντων ἀκωλύτως προσπαρεισελθόντων ἀσέβεια κ. τ. λ.* (monachi viam docuere).

5) Zosim. V, 5, 2: *ἄνδρας εὗρε πονηροτέρους ἤπερ ἐβούλετο.*

tempus. Itaque recta via in Athenas (tunc maxime melle claras) contendit ac statim Piraeo potitus est. Quo facto facillime urbem ipsam se esse occupaturum confidenter speravit[1]).

Quae post haec Zosimus narrat, qua ratione servatae sint Athenae, a pagano homine in Deorum honorem ubique ab imperatoribus proscriptorum conficta sunt ad exemplum miraculorum a christianis scriptoribus celebratorum velut angeli praesentiae in bello Gildomico ab Orosio relatae. „Vidit enim Alaricus — ita pergit Zosimus — cum ad urbem accederet, murum circumlustrantem Minervam et ante moenia Achillem, qualem Homerus[2]) descripsit, cum Patrocli necem vindicaturus procederet in aciem. Quod spectrum quia ferre non potuit Alaricus, pacem Atheniensibus obtulit. Qua probata nulla foedatam vastitate Atticam reliquit.“ Verum haec quae de clementia Alarici Zosimus refert in Athenas exhibita, quoniam Hieronymus, Claudianus, Eunapius obstant, in dubium valde vocanda esse videntur, et omnino negandum, Atheniensium sortem deorum ope meliorem esse effectam.

Quae cum omnia in animo verso, in hunc fere modum gesta esse crediderim.

Alaricus priusquam Athenas vi et armis adiit, quo citius urbem in suam redigeret ditionem, in eam misit, qui pacem civibus offerrent. Quibus, cum Piraeus in hostium esset potestate eoque eis urbem commeatu intercludere liceret, et urbs ipsa amplior esset, quam quae raptim ad defensionem muniretur, minime erant Alarici conditiones abnuendae, quamquam ad id acerbitatis eas expressas fuisse sane probabile est, ut revera vix interesset inter Athenarum sponte deditarum fortunam atque urbium vi expugnatarum. Qua de causa Hieronymus[3]) hasce commemorans res actas Athenienses cum Lacedaemoniis et Corinthiis haud absurde exaequat. Quae vero fuerint illa conventa, plane ignoratur. Id tantum coniicere[4])

1) Philostorg. XII, 2 nihil aliud nisi Alaricum eam occupasse dicit: ἐπῆλθε τῇ Ἑλλάδι καί τὰς Ἀθήνας εἶχεν al. εἷλεν.

2) Ilias XVIII, 364 sq.

3) Ep. 60 ad Heliodorum (ed. Vallars. Venet. p. 344) scr. 396: Quid putas nunc animi habere Corinthios, Athenienses, Lacedaemonios, Arcadas, cunctamque Graeciam, quibus imperant barbari?

4) Ex Claudian. in Ruf. II, 191. Etiam ex aliis locis Claud. (d. bell. Get. 629) docet correptas esse servas.

licet mulieres quoque ab Atheniensibus Alaricum petiisse, easque captivas abduxisse. — Quodsi eadem fere Athenis ac ceteris urbibus contigit sors, Eunapius [1]) denique non a vero aberrat, quod ex universae Graeciae clade Athenas non excipit. Una tamen in re is a Zosimo prorsus dissidet. De eversione sacrorum ac templorum Eleusiniorum, quae erant in Attica, ille loquitur; hic e contrario Alaricum urbem pariter et Atticam totam sine ullo maleficio reliquisse [2]). Quam ita fere censuerim solvendam esse discrepantiam, ut Eunapio concedatur sacra esse eversa per Gothos sed priusquam pacta cum Atheniensibus sunt conventa; posteaquam vero sancita sunt, nullum prorsus executos maleficium Attica eos decessisse.

Conditionibus, quas obtulit Alaricus, ab Atheniensibus probatis et sacramentis ultro citroque praestitis cum paucorum comitatu barbarorum dux urbem ingressus est. Exceptus omni genere comitatis, posteaquam lautus est et cum principibus urbis viris splendidis interfuit epulis, urbem muneribus acceptis et Atticam totam dereliquit.

In Megaridem porro agmina deduxit, et oppido primo impetu capto Peloponnesum versus properavit.

Isthmi transitu praefuit idem ille Gerontius. Qui ut Thermopylarum proditionem Isthmo acriter et strenue defenso resarciret, tantum abfuit, ut eandem atque illic hostibus transeundi faceret copiam, quamquam quia Valeriano imperatore a portu Lechaeo ad Cenchreensem munimentum obductum [3]) erat, a parva militum manu facile potuit obtineri. Quo cum freti muro Peloponnesii urbium suarum moenia vetustate dilapsa reficere supersedissent, omnes deinceps urbes sine labore aut pugna capi poterant. Ac prima quidem Corinthus a Gothis expugnata est, in qua quaecunque barbari reliquerant, incendio [4]) penitus sunt excisa. Sequuntur Argi [5]), quos pretiosissima quaque re expilaverunt calones, ceteraque loca inter hos et Lacedaemonem interiecta. Sparta evertitur [6]) id quod etiam

1) Eunap. v. Max. p. 74 et 75.

2) Zosim. V, 6, 4 et 6.

3) Zosim. I, 29, 4.

4) Claudian. in Ruf. II, 190. — Eunap. v. Prisc. p. 94. Comm. — Id. d. bell. Getic. 612.

5) Id. d. bell. Get. 611.

6) Id. in Ruf. II, 189.

Arcadiae accidit oppidis [1]), quibuslibetque, in quae delati sunt Gothi, castellis.

Quae cum Graeciae miseriae in Occidentem essent nunciatae, Stilico opem eis aerumnis navaturus militibus in naves impositis Ionium mare transmisit [2]). Cauro secundo vectus ad Corinthum appulit [3]). Finem iam eum omni calamitati impositurum advenisse, per totam confestim latum est Graeciam, ut ad spem omnes revocarentur animi [4]).

Ac Stilico quidem, priusquam ipsum petiit Alaricum, ut quoscunque hic illic vagabundos barbarorum acervos habebat obvios, de medio tolleret, studuit, itaque ut Graeciae restauraret tranquillitatem [5]). Neque vero magnae agminis moli uspiam est parsum. Quas inter caedes intra barbaras turbas insuper pestilentia exoritur, ut permulti qui non ense abriperentur, morbo perirent [6]). Sed qui utrique leto elapsi superstites erant, quorum numerus satis magnus erat, ut non solum dubius videretur aciei exitus, sed etiam eorum existentia momenti cuiusdam esset in imperii fortunam: eos quoque dolosa quadam arte non vincere sed ad unum omnes Stilico statuit excidere.

Est collis in Arcadiae et Elidis finibus situs, inter Alpheum flumen et Ladonem. Pholoën vocant. Quod idem oppidulo nomen est colli applicato [7]).

Eum in locum, quo ὁρμητηρίῳ uteretur, Alaricus Gothis aliquoties [8]) ad hoc illudve flumen devictis [9]) populi sui reliquias congregavit. Sed quamquam satis apte in excelsiore loco Gothi posuerant castra, tamen quominus Stilico se undique exercitu includeret, sive quod ille copiis sive artificiis praepollebat, prohibere nequierunt. Quin vallum ille circumduxit, ut deflexo fluvii cursu [10]), quippe

1) Claudian. in Ruf. II, 189.
2) Id. de laud. Stil. I, 172.
3) Id. de IIII cons. Hon. 461 sq.
4) Id. de laudd. Stil. I, 183 sq.
5) Id. de IIII cons. Hon. 471—473.
6) Id. de IIII cons. Hon. 466 sq.
7) Plin. nat. hist. IIII, 6, 21.
8) Claudian. d. bell. Get. 564.
9) Id. de laud. Stil. I, 185—187.
10) Id. de IIII cons. Hon. 478—483.

qui solus hostibus exhiberet aquam, siti ad deletionem usque miseros conficeret.

Verum enimvero cum in tantum pericli discrimen res Alarici iam essent adductae, ut Stilico, si non esset impeditus, eum plane tunc exstinxisset, eoque immensum in modum auctoritatem suam in utroque auxisset regno, de novo aulae orientalis exciri coeptus est timor, ne etiam Orientis ille sibi vindicaret regimen. Imprimis Eutropius metu percussus est, atque quia universi tunc Orientis arbitrium perdere periclitabatur, principem adduxit, ut Stiliconem iuberet Alaricum cum suis in libertatem restituere, et ut cum Alarico pacisceretur [1]), eumque Illyrico praeficeret [2]). Ita [3]) enim sibi asservari ratus est, per quem arceret praepotentis vim Stiliconis.

Iterum ita Alaricus e periculo elabitur, quod Stilico ei instruxerat, atque sinum Corinthium transgressus, per quascunque venit regiones vastans [4]) in Epiros iter intendit. Quas vi et armis iam tenebat plagas, eae iure legeque tum ab aula orientali ei assignantur possidendae. Quo factum est, ut, qui hostis imperii atque civium praedo fuerat, civis Romanus fieret quin magistratu honoratus. Stiliconis vero re infecta in Italiam reversi in aula Orientis fastidium odiumque in tantum increvit, ut decreto publico hostis imperii declararetur [5]), ut bonis quae in illo habebat, privaretur, et vel sicis tentaretur [6]). —

Zosimus exitum expeditionis hisce [7]) refert: *καὶ ῥᾷστα (Στ.) διέφθειρεν ἂν αὐτοὺς (Γότθους) σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, εἰ μὴ τρυφῇ καὶ μίμοις γελοίων ἥκιστά τε αἰσχυνομένοις γυναιξὶν ἐκδοὺς ἑαυτὸν ἀφῆκε τοὺς στρατιώτας ὅσα καταλελοίπασιν οἱ βάρβαροι ἁρπάζειν, τοῦ τε δοῦναι τοῖς πολεμίοις εὐρυχωρίαν ἀναχωρήσασι τῆς Πελοποννήσου μετὰ πάσης τῆς λείας εἰς τὴν Ἤπειρον διαβῆναι.*

---

1) Claud. de bell. Get. 496 sq.

2) Id. in Eutrop. II, 214. — Id. de bell. Get. 535.

3) Id. de bell. Get. 516:

Exstinctusque (Alarice) fores, ni te sub nomine legum
Proditio regnique favor texisset Eoi.

4) Id. in Eutr. II, 214. — Zosim. V, 7, 4. — Philostorg. XII, 2 *καὶ τοὺς προσεχεῖς Δαλμάτας ἐλῃίσατο.*

5) Zosim. V, 11, 2.

6) Claud. de laud. Stil. II, 83:

Saepe lacessitus probris gladiisque petitus.

7) Zos. V, 7, 4.

Quae quamvis expressa sit narratio, haud belle tamen docet lateque patet dubio. Nam primum quidem difficillime potest intellegi Stiliconem, qui cum hostibus seu bellandi sive agendi virtute omnes eiusdem temporis praecellebat homines, tam vitiosa ac prorsus indigna ratione e manibus Gothos emisisse. Nam profecto omnem excessisse modum putanda esset Romanorum neglegentia et lascivia, si per eam solam licuisset Alarico decedere de monte circumvallato, subterfugere hostes, dum veniret ad maris litus, cunctam secum deducere praedam, transire sinum Corinthium, quamquam classis Romana eodem erat in sinu, itaque evadere in Epirum. Neque tamen confinxisse id odio quodam commotus in Stiliconem vel animo averso Zosimus videtur, quod, quamvis in imperatores saepissime latret — unde cani ei datum est nomen — Stiliconem tamen in aliis locis non proscindit conviciis [1]). Sed male potius hoc tempus et res gestas doctum eum fuisse crediderim. Id quod etiam inde cognoscere licet, quod non bis diversis temporibus [2]) sed semel tantum copias contra Alaricum ductas esse narrat, ut ex Claudiano, qui, cum videret propemodum [3]) evenire res, haud facile poterat falli, sit corrigendus.

Neque vero illorum probabilis est opinio, qui neque ex iussu aulae orientalis nec propter mollitiem Stiliconis evasisse Alaricum existiment, sed ab Stilicone causis admoto politicis libertatem ultro ei esse concessam. Sed quod fieri potuit, idcirco factum esse non est putandum. — Quibus id saltem concedere licet causas quasdam politicas, fortasse de Sunnonis rebellione nuntium, ut promptius epistulae obsequeretur Stilico, effecisse.

Quae cum ita sint, equidem nequaquam ad Claudiani dubitavi me conferre auctoritatem.

V.

Illyrici possessio inter regna Romana dubia tunc erat et controversa. Nam quamquam ita erat divisum, ut Arcadio dioeceses

---

1) Photius de eo: οὐχ, ὥσπερ Εὐνάπιος, οὕτω καὶ Ζώσιμος Στελίχωνα διασύρει.

2) Sc. I fere mense Augusto vel Sept. 395. — II anno interposito — vernali tempore 396.

3) Cassiod. chr. (Ronc. II, 222) ad ann. 395: Claudianus insignis habetur. — Zosimus vero vixit autore Euagrio post tempus Theodosii II.

Macedonia et Dacia obvenirent, quarum illius sex erant provinciae Achaia, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus vetus, Epirus nova cum parte Macedoniae salutaris; huius quinque Dacia mediterranea, Dacia ripensis, Moesia prima, Dardania, Praevalitana cum parte Macedoniae salutaris; atque Honorio quod restabat h. e. Pannonia I et II, Noricum I et II, Savia, Dalmatia: totum tamen uterque sibi vindicabat Illyricum[1]). Hoc est, unde Stiliconis postea haud mediocriter pendebat agendi ratio, atque cur praeter alias causas ipsum Illyricum (orientale) Alarico concessit Arcadius, puta ut contra Occidentem Orientis ditioni id obtineret. Ex quo facile conicere licet, non ad id Alarici deminutas fuisse copias, ad quod et Claudianus et Zosimus credi volunt. Nam quid auxilii parvum barbarorum acervum sperari poterat esse praebiturum? An aestimari potest tantam tam brevi interposito tempore expeditionem, quanta Italica fuit, Alaricum suscipere quivisse, nisi exercitus ei de bello Graeco remansisset minime contemnendus, etiamsi facile concedatur agmina ei auxiliaria aliunde exstitisse satis numerosa?

Quem Alaricum in Illyrico orientali[2]) adeptus sit magistra-

---

1) Ideo praecipua turbarum tunc sedes fuit Illyricum. Cf. Claud. d. bell. Gildon. 452.

2) Koepke (p. 124) censet Epirum tantum, Molossorum ac Thesprotorum fines — i. e. provincia Epirus vetus — Alarico esse concessam. Sed hunc, quo solo fultus est, Zosimi locum aliter esse intellegendum contenderim. V, 26, 1 sq.: (*Ἀλλάριχος δὲ ἐπειδὴ*) *ἀνεχώρησεν, ᾗ προείρηταί μοι, τῆς Πελοποννήσου καὶ τῆς ἄλλης ὁπόσην ὁ Ἀχελῷος ποταμὸς διαρρεῖ, διατρίβων ἐν ταῖς Ἠπείροις, ἣν οἰκοῦσι Μολοττοί τε καὶ Θεσπρωτοὶ καὶ ὅσοι τὰ μέχρις Ἐπιδάμνου καὶ Ταυλαντίων οἰκοῦσι χωρία, τὸ παρὰ Στελίχωνος ἀνέμενε σύνθημα τοιόνδε πως ὄν· τοὺς τὴν Ἀρκαδίου βασιλείαν οἰκονομοῦντας ὁρῶν ὁ Στελίχων ἀλλοτρίως πρὸς αὐτὸν ἔχοντας διενοεῖτο κοινωνῷ χρησάμενος Ἀλλαρίχῳ τῇ Ὁνωρίου βασιλείᾳ τὰ ἐν Ἰλλυριοῖς ἔθνη πάντα προσθεῖναι. συνθήκας τε περὶ τούτου πρὸς αὐτὸν ποιησάμενος εἰς ἔργον ἄγειν ὅσον οὐδέπω τὴν ἐπιχείρησιν προσεδόκα. προσδεχομένου δὲ Ἀλλαρίχου τῷ παραγγέλματι πειθαρχήσειν, Ῥοδογάϊσος — εἰς τὴν Ἰταλίαν ὥρμητο διαβῆναι.* Namque Sozomenus VIIII, 4: *ὁ μὲν Ἀλάριχος*, ait, *ἐκ τῆς πρὸς τῇ Δαλματίᾳ καὶ Παννονίᾳ γῆς βαρβάρου, οὗ διῆγε, παραλαβὼν τοὺς ὑπ' αὐτὸν ἦγεν εἰς τὰς Ἠπείρους. καὶ συχνὸν ἐνταῦθα προσμείνας χρόνον ἄπρακτος ἐπανῆλθεν εἰς Ἰταλίαν.* Accuratiore quodam modo haec historia miscella refert l. XIII, p. 90: „cum Alaricus barbaros sub se constitutos et per Dalmatias habitantes congregasset, venit ad Epirum, ubi multo tempore commoratus in Italiam reversus est.“ Dicit

tum a nullo scriptore refertur. Claudianus quidem ducem eum fuisse dicit[1]) i. e. qui ordini spectabili addictus rei militari unius provinciae praeest. Sed quae addit summum de iurisdictione, administratione ac re militari in Illyrico penes Alaricum fuisse

---

enim „in Epiro“ — commoratum Alaricum in Italiam rediisse — non ut obiter Sozomenus „in Epiris.“ Sed in vetere an in nova? Id quod ex Procopio (d. bell. Vandal. I, 2, D.) (ed. bonn. p. 313.) potest disceptari: *βασιλεὺς δὲ Ὀνώριος πρότερον μὲν ἐν Ῥώμῃ καθῆστο· — ἐπεὶ δὲ οὐκ ἄποθεν οἱ βάρβαροι ἀλλά που ἐν Ταυλαντίοις εἶναι στρατῷ μεγάλῳ ἠγγέλλοντο καταλιπὼν τὰ βασίλεια οὐδενὶ κόσμῳ ἐς Ῥάβενναν φεύγει.* Sin autem quod tum in Taulantiis — i. e. Epiro nova — erant barbari — i. e. Gothi — magnum imperatori incusserunt terrorem, in alia terra ante fuisse putandi sunt, ubi minus timendi Honorio videbantur. Atque quam tandem eam respectis cum Sozomeni tum hist. miscellae testimoniis coniici potest fuisse nisi remotiores veteris Epiri regiones?

Itaque Zosimum recte quidem docere liquet Gothos in Epiro vetere consedisse ibique (vide Sozomenum et hist. misc.) ad alteram usque expeditionem Italicam — Romanam dictam — permansisse.

Sed est fortasse, qui ita Zosimum intellegat, ut contendat in illis regionibus Gothos post Italicum quidem bellum consedisse, sed in eisdem illi quoque iam antea, post Graecum. Ea vero interpretatio Claudiano plane obstat. Dicit enim is non solum aperte (in Eutrop. II, 216) Alaricum praesidere Illyrico et Illyrici ei tradita esse iura (bell. Get. 535), sed etiam Macedoniam vel Thraciam habuisse (bell. Get. 497: Emathia tellus) et Thracum sudorem arma Gothis parasse (bell. Get. 537), id quod intellegi non potest, si Thraces Alarici non subditi erant potestati. Nam nusquam invenio in Epiro Thraces fuisse.

Koepke porro ipse pro Claudiano quodam modo praebet argumentum. Alaricum enim sub nomine ducis Illyrici arbitratur traditam habuisse quam dixi terram, ut pro hoc pretio totum obtineret Illyricum orientale et occidentale, si fieri posset, caperet. Sed si id Arcadius, cum eam terram Gothis concederet, intendit, cur eis non potius eas provincias, quae Occidenti affines erant, Moesiam I et Praevalitanam, dederit, equidem non percipio. Immo si Illyrico instituere voluit imperator Gothos defensores — id quod belle accipi potest — atque si regiones solae adversariis contiguae eis non sunt traditae: id solum restat, quod probetur, totum Illyricum Gothis obvenisse.

Quae cum ita sint, non referenda videntur ambigua illa Zosimi verba ad quarti saecli finem. Inde vero ea esse profecta facile crediderim, quod Zosimus exitum expeditionis Graecae atque insequentem Gothorum sortem male, priorem vero expeditionem Italicam nequaquam doctus eis verbis ex imaginatione connectere voluit, quae habebat comperta, gesta Alarici.

1) Claud. d. bell. Get. 533—543.

arbitrium[1]), ducis potestati non congruunt, aptius praefecti praetorio[2]), ut ex his quoque non unam provinciam (Epirum veterem) ei esse concessam liceat coniicere. Ille vero titulus vel qui dignitate proximus est, vicarius a poeta reiecti esse videntur, quippe qui poematum dictioni nequirent coaptari.

Haud difficile erat intellectu multum abesse, ut Gothorum res ad stabilem quandam et firmam pervenissent conditionem. Nam status in quo tunc erant, imprimis in aularum Romanarum positus erat simultate et discordia[3]), qua composita res Gothorum inter ipsa regna habitantium in magnum sane discrimen essent vocatae.

Quod cum Alaricum nequaquam praeteriret, imprimis ut populum suum armis instrueret aliaque qualibet arte communiret, curae habuit ac studio[4]). Ita enim Gothos non solum tunc reddere magis metuendos Romanis, sed expedire etiam et accingere arbitrabatur ad alias sedes easque liberas et securas sibi adquirendas. Neque enim umquam hoc desiit moliri. Interea vero ut necessitas quaedam et coniunctio cum utraque servaretur aula, quavis studuit arte[5]). Id quod praecipue eo prospere ei successit, quod utrumque regnum, quippe quod rebellionibus[6]) tunc vexaretur et fallaciis

---

1) Claud. d. bell. Get. 533 –543.

2) Cf. id. in Eutr. II, 215: praesidet Illyrico.

3) Tunc re Gildonica aucta. Claud. b. Gild. 237.

4) Id. de bello Get. 533 sq.

5) Id. de bello Get. 566 et 567.

6) I. Oriens:

A. Duplici Hunnorum aliarumque gentium incursione una per Thraciam altera per Armeniam ad Syriam usque cavam et Ciliciam effusa (a. 395) Claud. in Ruf. II, 23—38. Zosim. V, 7. — Socr. VI, 1. Sozomen. VIII, 1. Philostorg. XI, 1.

B. Mazacum et Auxorianorum in Libyam et Aegyptum invasione (a. 397) Philostorg. l. c. — Synesius ep. 57, 78, 193.

C. Tribigildi et Gainae tumultu ab anno 398 ad 400, Februar (Marcel. C. chr.) (a. d. III non. Ianuar. 401. Chron. alex.) — Claudian. in Eutrop. II, 274 sq. — Philost. l. c. Socrat. VI, 6. — Sozom. VIII, 4. — Zos. V, 13—22. — Theodoret. V, 32. — Cf. Clinton. f. R. a. 400 sq.

II. Occidens:

A. rebellione Alamannorum al. a. 395.
B. - Marcomeris 396—397.
C. - Gildonis 397—398.
D. - Sicambrorum al. 399.
E. - Venetorum et Rhaetorum 401.

de quibus v. infra, p. 28 sq.

laboraret intestinis, vel fugiebat, quae Alaricus ageret, vel si minus, quo prohiberet, non habebat.

Summam tunc in Oriente potentiam Eutropius tenebat, qui haud contentus clam et insusurrans, qui est servorum et spadonum mos aliquid valere apud principem, primus eunuchus rerum Orientalium aperte affectavit apicem. Oriundus ex infimo servitio et in ipsis incunabulis castratus [1]) ingenium semper prae se tulit virilis cuiusvis sane expers virtutis [2]). Multis usus est dominis. Ab his pellicis usu lassatus [3]) illis lenonis vice [4]) fuit. Sed cum consenesceret et calvesceret [5]), et pallidus domino praeberet horrorem, pueris metum, taedia mensis, famulis crimen, obviis omen, cumque membra negarent toros sternere vel ligna concidere, neque esset, qui infido homini sua committere vellet aut thalamum lenoni: penatibus suis dominus eum extrusit [6]). Quem contemptio ita manu miserat, ei Abundantius quidam vir nobilis forte in palatium imperatorium aperuit aditum [7]). Domesticis deinde ministeriis functus est, donec ad omnium cubilium imperatoriorum custodiam provectus conspirationi se immiscuit in Rufinum excitae, qua transacta in summam irrepsit apud Arcadium auctoritatem. Quam praesertim cum Eudoxiae, Arcadii uxori, se addixisset, in quartum obtinuit annum, sed cum vita statim perdidit, simulatque imperatrici superbe se iactavit et insolenter.

Quaecunque Rufinus suscepit quamvis crudelia fuissent et persaepe prorsus inhumana, granditate quadam sunt peracta et audacia, ut horrorem quidem incutiant neque contemptum. At Eutropius subdole et insidiose contra ditissimum quemque et probum machinatus est, atque quamquam non habebat prolem, cui parta relinqueret, neque ipse consumebat, undique tamen parvis a puero

---

1) Claudian. in Eutrop. I, 45: Rapitur castrandus ab ipso Ubere.

2) Ibid. 286: (Eutropius polluit)

Dux acies, iudex praetoria, tempora consul

3) Ibid. 60 sq.

4) Ibid. 78 sq.

5) Ibid. 113.

6) Ibid. 131.

7) Ibid. 151 sq.

furtis exercitatus [1]) opes privatas et publicas corripuit [2]). Rufinus Orientem in extremum vocavit discrimen. Nam ipsis periclis firmare intendit suum principatum. Regebat quodam modo barbaros. Eutropius vero cum praeter eius voluntatem irrupissent hostes vel rebellassent, plane neglexit nihil antiquius ratus quam ut divitiis se ingurgitaret [3]). Maluit risui barbaris esse quam manus cum eis conserere. Accessit, quod strenuis viris ac fortibus de magistratibus summotis creaturas sui similes sufficiebat.

Quem in modum [4]) cum Arcadii res gubernarentur: si Alaricus apparatibus belli apte perfectis copias suas contra regnum orientale educeret, ut corrueret, facile fieri poterat. Quod Alaricus cur tandem non ausus est?

Inter populus barbaros, qui post Alaricum aquilonem versus habitabant, motus esse exorsi videntur, ut is, quam infirma uteretur conditione, intellegeret. — Huc accessit, quod Gainae tumultu Orientis tunc in omnes Gothos commoti erant animi. Quo initio anni 400 [5]) exstincto fortasse etiam eam, quam cum Oriente ipse habebat, coniunctionem finitum iri Alaricum ratum, priusquam contentionibus hinc illincve orituris populi sui contereretur robur, tunc cum maxime illud suum consilium maluisse iterare equidem crediderim. Non solus iuventutis fervor eum instigavit [6]), sed non minus providens populi sui ratio. Ita quoque cur in Occidentem delatus sit, percipi potest [7]).

---

1) Ibid. 193.

2) Suidas voc. *χανδόν* — quod A. Maius Eunapii fragmentum esse censet.

3) Claud. in Eutr. I, 190: sed peius in aurum
aestuat; hoc uno fruitur succisa libido.

4) Eunapii hist. fragm. ap. Suidam, v. *Εὐτρόπ. ὁ δὲ θαλαμηπόλος εὐνοῦχος — ἐς τοσόνδε κατέσεισεν ἅπαντα, ὥστε — Ῥουφῖνος αὐτὸς — μικρόν τι χρῆμα πρὸς αὐτὸν ἦν.*

5) Marcell. Com. chr.

6) Claudian. d. bell. Get. 498.

7) Sunt qui Alaricum ab aula orientali, in qua post Eutropium Eudoxia Ioanne Comite adiutore cuncta regebat, incitatum esse coniiciant, ut in Occidentem irrumperet. Velut Aschbach p. 71 et 72; Schlosser universalhist. Uebersicht der Gesch. d. alt. Welt. III, 3 S., 175 et Weltgesch. für das deutsche Volk 1851, tom. IIII, p. 503. Sed nullus id docet auctor. — Contra Koepke p. 125: aus eigenem Entschlusse war Alarich

Illi gentium motus de populo mongolico Geougorum profecti esse traduntur[1]), qui circa hoc tempus aliquoties Hunnos in regionibus de mari Caspio ad septemtriones vergentibus superaverunt et occasum versus propulerunt. Hunni vero populos Germanos quo diutius eo gravius presserunt eoque adegerunt, ut, qui se subditos esse respuerent, sedibus relictis paucis post annis occidentales peterent Galliarum regiones. Quo eodem impulsu etiam Radagaisus fortasse abreptus est.

In aula occidentali summa tunc penes Stiliconem erat auctoritas, socerum imperatoris atque amitinae eius maritum, qui satis strenue et prudenter eam exercebat. Unde profectum est, ut regnum Occidentis, quamvis divisio gravius ei fecisset damnum[2]), tamen Stilicone regente validioris exhiberet speciem et firmioris. — Militia vero non minus Oriente laborabat. Nam praecipua vis militaris barbari erant, qui sub Romanorum auspiciis stipendia faciebant. Quorum barbaries quendam in modum ducum virtute est coercita, quos apta cum prudentia Stilico ordinabat. Legionariis militibus adeo tamen caruit, ut — si licet exemplum afferre — contra Gildonem, quamvis de tota tunc ageretur dioecesi Africa, non amplius quinque millibus colligi possent[3]). Id quod eo gravioris erat momenti, quod regnum minus insidiis quidem intestinis, quamdiu perita manu et frenis adstrictis Stilico id rexit, quam perpetuis provinciarum seditionibus est vexatum et concussum.

VI.

Stilicone et Aureliano coss.[4]) — 400 — Alaricus sese dedit in viam. Per Pannonias et per Sirmium dextro latere agmina duxit[5]). Quo mihi quidem probatur per septemtrionales Alpium partes eum Occidentem versus in mente habuisse proficisci atque in Galliis

---

aufgebrochen, nicht etwa in scheinbarer Parteinahme für ein römisches Interesse.

1) Gibbon, ch. 30, sinicis id referri dicit annalibus. —

2) Priscus, excerpt. de legation. 14: *μάλιστα ἐκάκωσε τὰ ἐν τῇ ἑσπέρᾳ Ῥωμαίων πράγματα διὰ τὸ διῃρῆσθαι τὴν βασιλείαν.*

3) Oros. VII, 36. — Claud. d. laud. Stil. I, 341 sq.

4) et 5) Jordanis c. 29.

aliave occidentali regione quaerere sedes. Nam qua alia causa, ut adeo de recta ac proxima per Dalmatiam vel Saviam ducente via decederet, potuit commoveri? Qua Gothorum appropinquatione Rhaeti videntur confisi Romanam exuisse societatem. Sed cum Stilico adventaret, et occidentale illud iter impedivit reddiditque periculosius et quodam modo in Italiam, quasi viris vacuam [1]), aditum stravit. Itaque Alaricus commutato itineris consilio, postquam magnum his migrationibus, quibus totam Italiam perterruit [2]), contrivit tempus, ad meridiem versus profectus Romanorum praesidiis superatis et Alpium ita perruptis portis [3]) hiberno anni 401 [4]) tempore Italiam ea via intravit, quam olim Theodosio calcaverat duce [5]). Quae respectis ita temporibus fecerat, ad ea simulatione

---

1) Jordanis c. 29.

2) Paulinus de S. Felice natalitium carmen octavum — h. e. ad diem XIIII Jan. 401 — (ed. Pontius Merop. Paris 1685. poema 23) media in belli sollicitudine et anxietate Nolae conscripsit. Cf. v. 5—8. 11. 12. 22—28. 111 sq.

29: Nunc igitur quamvis varias vaga fama per oras
Terrificis pavidas feriat rumoribus aures.

3) Claud. de VI cons. Hon. 440 sq. — Ex verbis „auxilio brumae" v. 444 sequitur, ut in chron. Cuspiniani (Ronc. II, 123) legendum sit: Vincentio et Fravito coss — intravit Alaricus in Italiam a. d. XIIII Kal. Dec. (non Sept., ut quidam codices habent).

4) Prosper Aquitanus (Ronc. I, 635 sq.): Stilichone et Aureliano coss. Gothi in Italiam Alarico et Radagaiso ducibus ingressi. — Tiro Prosper (Ronc. I, 678) idem. Cassiodori chr. (Ronc. II, 222 sq.): Flavius Stilicho et Aurelianus consules. His coss. Gothi Halarico et Radagaiso regibus ingrediuntur Italiam. — Tironis et Cassiodori commune fundamentum Aquitanus est, qui ipse hic ex Orosio pendere videtur. Qui cum eodem loco et Alarici et Radagaisi mores describat et ingenia, Prosperum eodem tempore una contra Romanos eos bellasse opinatum esse crediderim. Orosius enim VII, 37: „Itaque ineffabili, ait, iudicio Dei factum est, uti — — duo tunc populi Gothorum cum duobus potentissimis regibus suis per Romanas provincias baccharentur: quorum unus Christianus propiorque Romano et (ut res docuit) timore Dei mitis in caede, alius paganus barbarus et vere Scytha qui non tantum gloriam aut praedam quantum inexsaturabili crudelitate ipsam caedem amaret in caede —" Qua confusione cum aliquantum Aquitani labefactata videatur auctoritas, Chronographum Ravennatem — seu Cuspiniani anonymum — sequi malui, quippe qui etiam aliis in locis certum se praestat auctorem (v. infra p. 38.)

5) Claudian. d. bell. Get. 284 sq.

quadam usitatissima adoptata deorum voce, qui ad Urbem usque se esse penetraturum promisissent prae se tulit esse sese adductum[1]).

Tum porro cum ad Timavum flumen[2]), quod inter Tergesten et Aquileiam in Venetum sinum influit, discessisset superior[3]), Aquileiam[4]) obsidere coepit, atque vicinas regiones populationibus temerare[5]).

Imperator vero, qui per hos annos Mediolani[6]) fuit, cum Alaricus Illyricum reliquisset, Brixiam[7]) profectus est (a. d. XIIII Kal. Sept. 400), unde mox reversus, cum Gothi Italiam peterent, Altinum[8]), Venetorum oppidum, se contulit, ut belli et defensionis apparatus, uti videtur, ibi instrueret et inspiceret. Hinc paulo post Mediolanum rediit.

Stilico Germanorum sub id tempus continuis prorsus tumultibus fuit occupatus. Pacatis enim vix Alamannis ceterisque populis, qui primo Honorii anno rebellaverant, reges quidam Francorum Marcomeres et Sunno novarum rerum cupidi exstiterunt. Sed altero rege in Tusciam in exsilium misso, altero socium exsulem ulturo ense suorum abrepto, rebellio confracta fuit et pax iterum stabilita[9]). Qua de rebellione annis 396 et 397 flagranti nuntium Sti-

---

1) Ibid. 544 sq. — Huc referendum est Socrat. VII, 10: *'Αλάριχος, οὐκ ἐγὼ, ἔφη, ἐθελοντὴς ἐπὶ τὰ ἐκεῖ ἐπορεύομαι. ἀλλά τις καθ' ἑκάστην ὄχλει μοι βασανίζων καὶ λέγων. ἄπιθι τὴν ῥωμαίων πόρθησον πόλιν.* — Idem fere Sozom. VIIII, 6.

2) Plin. n. h. III, 26.

3) Claud. d. bell. Get. 562.

4) Hieronym. ad Rufin., Apuileiae versantem, ep. III, 21 (ed. Valars.): Et tantum Romanae urbis fugis iudicium, ut magis obsidionem barbaricam quam pacatae urbis velis sententiam sustinere.

5) Rufini Aquileiensis hist. eccl. Eusebio add. I, 6.

6) Cod. Theod. lib. VII, tit. 8, lex 6; 7, 1, 18; 7, 18, 10; 7, 8, 7; 8, 5, 60 et 61; 7, 4, 26; 8, 5, 63; 1, 15, 16 al.

7) Ibid. XI, 30, 61.

8) Ibid. I, 15, 17 (a. d. III Kl. Oct. 401).

9) Duplice hoc in loco Simonis (p. 27 et 28) ulcere laborat. Namque primum rebellionem hanc non initio anni 400 fuisse, sed ante ipsam Gildonicam luce clarius ex hoc Claudiani versu liquet: d. laud. Stil. I, v. 246 (236—245 narrat hanc rebell.)

Post domitas Arctos alio prorumpit ab axe
Tempestas (puta Gildonis).

liconi allatum esse, cum in Pholoe Gothos obsideret, ut credam propemodum adducor, eoque factum esse, ut, quod mallet Occidenti succurrere quam Orientis conficere hostes, ne dicam sponte Alaricum obsessione liberaret, tamen iubentius citiusque Arcadii mandatis obsequeretur. Sed haec qualiacunque sunt, simulatque Alaricus e Pholoe evasit, etiam Stilico illico Graecia decessit.

Quod ei servata post haec pace concesserunt Germani otium, in id impendit Stilico, ut tutam a Pictorum Scotorumque invasionibus praestaret Britanniam salvamque Saxonum praedationibus, quibus maria tunc et litora infestata erant [1]).

Quae cum vix esset peracta expeditio atque bellum Gildonicum circa idem tempus ardens profligatum, de novo Sicambri foedus exuerunt atque cum Chaucis conspirantes et Suevis in Romanos insurrexerunt. Brevi tamen illi, ut pacem implorarent, adacti sunt, quam Stilico arduis sane eis concessit conditionibus [2]). Quod factum est anno 399 [3]).

In quem per Gothos in Illyrico occidentali tunc versantes compulsi erant Romani, terror ansam aliis barbaris praebuit et copiam, ut ipsi exuerent foedera iugumque conarentur excutere Romanum. Quae seditio in Vindelicia (Rhaetia II) et Noricis orta [4]), et Gothis, uti dictum est, faciliorem in Italiam aditum paravit et ipsa eadem Alarici progressu aucta est et in altius excitata [5]).

Alaricus enim ab Aquileia mira quadam cum tarditate agmina

Tum Stilico bello Gildonico interfuisse nusquam traditur. Mascou. tom. I, 8, 6 hanc seditionem circa annum 399 esse exortam opinatur. Sed qua fulcitur causa in Suevorum spectat tumultum biennio post excitum. Is quoque neglexit locum Claudiani supra laudatum.

1) Claud. d. laud. Stil. II, 250—255.

2) Id. in Eutr. I, 377—383. — (de regibus datis cf. d. laud. Stil. I, 236 et 237. de Sicambris detonsis d. IIII. con. Hon. 446.)

3) Eutropium tunc cum maxime consulem esse factum — quem magistratum anno 399 adeptus est (Eutropio et Fl. Mallio Theodoro coss. Prosper Aquit. ad ann.) — apparet ex Claudiano (in Eutrop. I, 346—374 et 391—513). Mascou. (tom. I, 8, 6 not.) hic fallitur. Neque enim ex Claudiano sequitur, ut tunc Honorius arma praepararit in Francos sed res Germanorum administrarit; apud eundem notandum est, non ann. 400, sed 399 Eutropium fuisse consulem.

4) Claud. de bell. Get. 363—365.

5) Ibid. 380 et 381.

per Venetiam et Liguriam [1]) produxit. Obsidiones imprimis oppidorum, quo minus earum erat peritus, eo longiorem ei moram fecerunt [2]). Cautione, qua semper usus est, terror ille valde crevit. Portentis et monstris [3]) omnes agitabantur animi. Sua quisque sibi providebat arte. Urbs aeterna muros restauravit. Honorius Italia hostibus concessa in Gallias aufugere molitus est, atque ad Ararim in tuto quodam se defendere loco [4]).

Solus Stilico non cecidit animo. Cum duplex Romanis immineret hostis, Alaricus et rebelles Rhaeti, alterum ipse profligare statuit, alterum Honorio committere coercendum. Iussit ergo Honorium oppidis fortiter defensis moram Gothis afferre, brevique post auxilium se esse relaturum sperare. Ipse vero protenus Larium transgressus lacum [5]) media hieme [6]) contra rebelles profectus est, ut seditione sedata ex eis integras colligeret copias atque undique arcesseret cohortes Gothico finem impositaras bello. Nec destitutus est. Nam cum molestissima ac periculosissima via [7]) in turbulentas pervenisset regiones, adhortationibus et pugna pariter bellum repressit nascens, et ex eis qui modo seditiosos se praestiterant et tumultuosos, in militum tot esse iussit ordinibus, quot et repellere possent Gothos nec formidandi viderentur imperatori [8]). Praeter quos quas in Britannia Scotis habebat obtentas copias et

---

1) Prudentius in Symmach. II, 696:

Iamque ruens Venetos turmis prostraverat agros
Et Ligurum vastarat opes, et amoena profundi
Rura Padi — — premebat.

2) Gibbon, Chapt. 30: the siege of Aquileja and the conquest of the provinces of Istria and Venetia appear to have employed a considerable time. — his operations were extremely cautious and slow —

3) Claud. d. bell. Get. 227—266. — Philost. XI, 7. — Descr. conss. Idat. adscr. ad ann. 402.

4) Claud. d. b. Get. 296 sq.

5) Ibid. 320.

6) Ibid. 322 et 349. Putanda est hiems 401—402, cuius de gelu modum excedente Marc. Com. chr. ad a. 401. — Tillemontii sententia actum id esse Nov. vel Dec. 402 non est probanda, cum Stilico redux ad Adduam generum inveniat, qui a. d. VIII Dec. 402 Ravennae erat ibique mansit per annum 403.

7) Claud. d. bell. Get. 340 sq.

8) Ibid. 400 sq.

in Germaniis Sicambris, Chattis, Cheruscis omnes accivit. Ad id enim discriminis per Alaricum res Italiae iam erant adductae, ut nequaquam Stiliconi liceret dubitare, regni fines militibus plane denudare solo eis — Claudiani [1]) verba sunt — nominis Romani terrore praesidii vice derelicto. Namque Alaricus Venetiam pedetentim et Liguriam transgressus Mediolani coepit imperatorem obsidere [2]). Ipse vero quodam modo Addua flumine munitus erat [3]). Adeo erant in cervicibus Romanorum hostes, ut videre obsessis noctu liceret late barbarorum ardere focos [4]).

Verum enimvero cum Gothi imperatore iam sibi viderentur potiti esse, Stilico ex Alpibus repentino revertitur, atque quantum Romanis prosperae addit spei, Gothis tantum eximit [5]).

Cum Honorii discrimina [6]) nullas concederent moras, illico ex itinere tenebris noctis [7]) faventibus Stilico tranat Adduam, quippe cuius pontem hostes tenerent [8]), atque Gothorum exercitum, qui medius inter eum et imperatorem viam intercludebat [9]), cum paucis comitibus [10]) obvio quoque prostrato perrumpit [11]). Cum omni gaudii ac gratulationis genere, simulatque eius agnoscitur canities, a civibus excipitur per portas urbis effusis [12]). Maior vero exercitus, quem adduxerat, pars lentius approperavit [13]). Quo factum

---

1) Ibid. 414—422.

2) Claud. de VI cons. Hon. 446. — id. d. bell. Get. 561:

— Obsessi principis armis
Excusate nefas, deploratumque Timavo
Vulnus et Alpinum gladiis abolete pudorem.

Inversa est rerum factarum series.

3) Claud. de VI. cons. Hon. 481:

Adde quod et ripis steterat munitior hostis.

A tergo Gothos Addua defendit, qui inter flumen et urbem castra erant metati. Nam cum Stil. transnaret, pectus Gothis dedit (Cl. d. VI. c. Hon. 488.)

4) Claud. d. VI. c. Hon. 453.

5) Id. b. Get. 469.

6) Claud. d. VI. c. Hon. 459.

7) Ibid. 453.

8) Ibid. 457.

9) Ibid. 456.

10) Ibid. 461.

11) Ibid. 466 sq.

12) Id. b. Get. 458.

13) Ibid. 461 sq.

est, ut haud multum abesset, ut Alaricum ipsum iam a Romanis paene circumcinctum, cum tot milites videret expeditos equitumque alas, expeditionis quaedam subiret poenitentia [1]). Sed quamquam minime eum, in quantis iam esset periclis [2]), fugiebat, tamen fugiendi consilium vel revertendi reiecit [3]).

Postquam Stilico ad imperatorem rediit, bellum hic socero mandavit conficiendum, ipse vero Ravennam reversus est, unde integros ducibus procuraret copias [4]). Huc Alaricum Jordanis [5]) narrat ad imperatorem legatos misisse, qui multa polliciti sedes ab eo peterent; neque imperatorem id denegasse, sed Galliarum partes atque Hispaniarum Gothis concessisse colendas, quas iam paene Vandalorum aliarumque gentium invasione perditas sibi esse existimaret. Idem fere, secundum Jordanem ut videtur, historia miscella [6]) refert. Sed quod rerum mentio fit compluribus annis post gestarum, neque in Claudiano de legatione quidquam prorsus invenitur, atque quod uterque auctor unam tantum expeditionem Italicam narrat ad Romam captam usque producta, ne ad hoc tempus retulerit, quae plus lustro post acciderunt, valde timeo. Fieri saltem potuit ista legatio. Sed hinc minime sequitur, ut revera facta sit. Id tantum constat, hiberno tempore [7]) Alaricum seu sponte praedae timentem [8]) seu Stilicone urgente Padum transgressum Occidentem versus movisse castra.

Stilico vero, qui, cum quorundam [9]) in exercitu suspectam haberet fidem, hostibus obstare seu nequiebat seu nolebat, Gothorum tamen usque institit vestigiis quamlibet arrepturus occasionem

---

1) Claud. d. bell. Get. 478.

2) Ibid. 491:

„Numquam Mavors adeo constrinxit in arctum
Res, Alarice, tuas“

ait crinigerorum quidam patrum ex pellita Gothorum curia, ille Alarici, ut ita dicam, Phoenix.

3) Ibid. 528 et 529.

4) Cod. Theod. lib. VII, tit. 13, l. 15 (dat. a. d. VIII id. dec. 402): ad collationem iuniorum —

5) Jord. c. 30.

6) Hist. misc. XIII, p. 91.

7) Claud. d. bell. Get. 489.

8) Ibid. 502.

9) Velut Alanorum. ibid. 591.

in tempore in eos irruendi [1]). Quae, cum in supremam Liguriae regionem [2]) ventum esset, videbatur esse reperta. Namque prope Astam oppidum Gothorum aggressus agmen novissimum deprehendit iumenta. Quorum de recuperatione [3]) Alaricus cum castris ad Pollentiam [4]), quae urbs triginta fere milliaria ab Asta abest, collocatis cum Stilicone ageret, sacro paschatis die (a. d. IIII Kal. April. 403) necopinatus a Romanis aditur. Summa huius perfidiae assignanda est Sauli [5]) culpa, Alanorum duci, qui primo exercitus praeerat agmini. Cuius impetu Gothi conturbati ac propter religionem certare denegantes [6]) primum terga dant. Mox [7]) vero

---

1) Hist. misc. XIII, p. 91: Stil. — dum Gothos insidiis aggredi cuperet —

2) Ibi Urbs fluvius erat — hodie Orba seu Borbo. — Quo cum Alaricus venisset, oraculum illud, quod supra dixi, fuisse expletum Claudianus dicit (ibid. 554 sq.) satis inepte urbem Romam et Urbem fluvium confundens.

3) Ad Astam ex Claudiano (d. VI. cons. Hon. 204) bellici aliquid constat accidisse. Quod si gravius fuisset vel gloriosius, non tribus tantum verbis eum tacturum fuisse putandum est. Atque ante pugnam Pollentinam quidem id factum est, quia Asta a Pollentia Orientem versus sita est, Alaricus autem inverso itinere est profectus. Historia porro misc. l. c. refert: „dum ad Gallias pergens ob recuperationem iumentorum apud Pollentiam resedisset" — Iumenta ergo ante pugnam Pollentinam Gothis erant intercepta: ad Astam igitur hoc factum esse non ita absurdum videtur coniicere. Quae cum probabile sit antea Romanis esse ademta, tum vero Romanorum in possessionem vindicata, fortasse eam ob causam Claudianus l. c. Astam appellat vindicem.

Astae vero imperatorem a Gothis esse obsessum, quae Gibbonis est sententia, reiiciendum est. Obsessionis locum enim ex Claudiano constat prope Adduam fuisse, qui amnis Asta circa LXXX milliaria distat, Mediolano vero vix XV.

4) Jord. 30: Pollentia civitas in Alpibus Cottiis locata.

5) Oros. VII, 37: Saulis improbitate reverentissimi dies et sanctum pascha violatum.

6) Ibid. cedenti hosti propter religionem, ut pugnaret extortum est. hist. misc. l. c.

7) In L. Marinei Siculi de rebus Hispaniae memorabilibus libro VI, in quo mirum quam confuse hae traduntur res, invenio, ab Alarico die paschatis adito neque ex religione resistere auso die postero Romanos devictos esse. Sed hoc, undecunque est, falsum est. Ex Claudiano (d. bell. Get. 634) uno die proelium Pollentinum constat fuisse.

animis revocatis armisque arreptis, sustinent hostes et cum multos alios tum Saulem trucidant. Cuius morte turbati Alani de impetu desistunt, salutem fuga ipsi petunt, atque Gothis victoriam dereliquissent, ni Stilico cum legionibus advolans pugnam instaurasset. Verum quod iam acceptum erat detrimentum non eum in modum resarcivit, ut ipse superior discederet. Itaque cum neutram in partem pugnae examen aperte successisset, uterque victoriam sibi partam esse iactavit [1]).

Quo anno pugna Pollentina fuisset, magna semper lis fuit. Sunt qui — in his imprimis Pagi — Prosperi Cassiodorique laudato testimonio non Theodosio Aug. et Fl. Rumorido coss. (403) sed Arcadio Aug. quintum et Honorio Aug. quintum coss. (402) fuisse eam arbitrentur. Sed quamvis expressa sint chronicorum illorum verba, tamen hinc illinc quaedam confluunt argumenta, ut fides illis non videatur esse tribuenda.

Nam primum quidem apertum apud Prudentium [2]) invenitur testimonium:

Illic (in Pollentino agro) ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniae poenas tandem deleta pependit.

---

1) Utra pars reportarit victoriam, valde inter se qui de hac re referunt, discrepant. Romanos vicisse dicunt Claudian. (d. bell. Get. 633 sq. — d. VI. cons. Hon. 203; 280 sq.) et Prudent. (in Symm. II, 701 sq.):

(Depulit Geticos nimbos)
vis cruda virum, perfractaque congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere leto
Pro patria et pulcram per vulnera quaerere laudem.

et v. 712.

Contra Gothis addicunt victoriam:

Jordanis c. 30: Gothi — omnem paene exercitum Stilichonis in fugam conversum usque ad internecionem deiiciunt.

Hist. misc. XIII, p. 91: Gothi virtute potiori prosternunt exercitum.

Cassiodor. chron. Polentiae Stilichonem cum exercitu Rom. Gothi victum acie fugaverunt.

In medio vero rem relinquit:

Prosperi Aquit. chr.: Pollentiae adversus Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est.

Eadem Tiro Prosper (Ronc. I, 678) refert.

Ut denique Orosius sit intellegendus, certant grammatici. VII, 37: „pugnantes vicimus, victores victi sumus“ alii in Romanorum victoriam accipiunt (Simonis p. 37, n. 95), alii in Gothorum (Aschbach p. 74; Mascon. I, 8, 11; Gibbon ch. 30.)

2) In Symmach. II, 711 et 712.

Ammiano Marcellino [1]) auctore a. 373 Gothi Istrum transierunt et imperii provincias septemtrionales devastarunt. Pugna ergo Pollentina post XXX annos commissa ad annum 403 referenda est.

Claudianus quoque accuratissima de hac re verba facit. De pugna canens [2]):

uno, ait, die Romana rependit
Quidquid ter denis acies amisimus annis.

Ubi vero aliquid narrat ante completos XXX annos (ab anno 373 numeratos) actum, cautius loquitur. Cum Alaricus esset in Mediolani vicinitate (402) senem quendam Gothum dicentem facit [3]):

Si numero non fallor, —, tricesima currit
Bruma fere, rapidum postquam tranavimus Istrum.

Sed quia hoc in loco tam accurate pensitat verba, quid tandem est, nisi numerus iam erat expletus, cur ad ipsum trigesimum annum pugnam referat?

Omnino multa apud Claudianum occurrunt, quibus solus annus 403 congruit. Velut [4]) Romani ab imperatore tunc ad consulatum ineundum Urbem intrante (initio anni 404), ut sibi de pugna Pollentina tamquam de re nuperrime facta narret, petunt. Id quod subabsurdum videretur, si pugna illa iam ante biennium accidisset.

Vel aliud afferam exemplum. Claudiani de laudibus Stiliconis carmen alterum anno 400 factum est. Cui subdidit nullo alio interposito carmen de bello Getico post ipsam pugnam Pollentinam compositum, cuius praefatio hisce incipitur versibus:

Post resides annos longo velut excita somno
Romanis fruitur nostra Thalia choris.

Num tibi probatur hos eum praemissurum fuisse versus, si unus tantum annus 401 integer fuisset interiectus?

Tum mirum profecto est, quod Paulinus, utpote qui tot versibus Gothorum appropinquationem memoret, tam grave proelium, si anno 402 commissum erat, ne uno quidem versu in carmine ad diem XIIII Januarii 403 facto tetigit. Carminis vero ad diem natalem S. Felicis anni 404 compositi fragmentum tantum ad nos per-

1) v. supra paginae tertiae notam quartam.
2) d. bell. Get. 633.
3) Ibid. 488.
4) d. VI. cons. Hon. 361 sq.

venit, ut facile credi possit, in perdita hymni parte pugnae factam esse mentionem.

Tum in codice Theodosiano nonnullae leges anni 403 leguntur militares; mira severitate descriptae eaeque in desertores, quod hominum genus non nisi belli tempore potest inveniri. Paucos liceat exhibere locos:

lib. VII, tit. 18, leg. 11 (d. Ravennae a. d. VI Kal. Mart. 403): desertores — carceris custodiae deputentur. — Sin vero inventi resistendum atque armis obtinendum putaverint, tanquam rebelles in ipsis temeritatis suae conatibus opprimantur — in desertorum quoque occultatores iuxta promulgatas leges severissime vindicetur —

leg. 12 (d. Rav. a. d. VIII Kal. Aug. 403): Si quis militem profugum — in praedio suo susceperit — — aut comprehensum severitati iudiciariae potestatis non obtulerit, sciat, si in dissimulando convictus fuerit, fundum ipsum — — fisci nostri viribus sociandum.

leg. 13 (d. Rav. a. d. VI Non. Oct. 403) desertores modis omnibus attinendos esse censemus. — Similis est lex 14 eodem die data.

Cum autem secundum Claudianum eodem anno quo fuit pugna Pollentina, etiam finitum sit bellum Gothicum, atque cum ex his legibus bellum nondum videatur compositum, pugna illa anno 403 fuisse putanda est.

Restat, ut de renovatis Romae muris, de quibus inter grammaticos lis est, pauca subiungam.

Claudianus [1])

— addebant, ait, pulcrum nova moenia vultum
Audito perfecta recens rumore Getarum.
Profecitque opifex decori timor, et vice mira
Quam pax intulerat, bello discussa senectus.

Qui versus suppeditant bello Gothico Romanos, ut innovandis operam darent muris, esse commotos — ergo non ante ultimos anni 401 menses; atque nuper perfectam esse restaurationem i. e. non ita multo ante finem anni 404, quo Claudianus carmen de VI. Honorii consulatu conscripsit: ergo vel anno 402 vel 403. Nam anno 404 iam erat finita. Canit enim ille puellae instar procum exspectantis Romam, cum imperatorem sextum ineuntem consulatum (404) erat exceptura, innovatis se exornasse muris.

---

1) de VI. cons. Hon. 531 sq.

Sunt tamen, qui satis temere contendant — velut Simonis p. 33 — iam anno 401 id esse factum, cum et Paulinus in carmine natalitio octavo murorum faciat mentionem, et inscriptio de muris instauratis relicta, quia inter Augustos nominatos Theodosius desideretur, quem chronicon Alexandrinum a. d. IIII Id. Ianuar. 402 doceat imperatorem levatum esse, anno 401 tribuatur oporteat.

Sed in carmine Paulini, quippe quod ad diem XIIII Januarii 401 conscriptum sit non nisi res per annum 400 factae possunt commemorari. Atque quamquam insunt in hoc Nolae condito poemate de muris versus, adeo tamen non sunt distincti, ut obtineri possit, eos esse urbis Romae muros. Verba sunt animi pii atque despectis hominum operibus omnia Domino committentis:

Fidunt legionibus illi
Perfugioque parent reparatis moenia muris,
Nulla salutiferi quibus est fiducia Christi.

et v. 111:

Nunc opus adiutore Deo, solusque timendus,
Quo sine et arma cadunt, per quem firmantur et arma.
Ipse intra muros turris tibi, qui sine muris
Murus erit.

Inscriptio vero hisce est perscripta verbis (Gruteri thes. p. 165. n. 1.): S. P. Q. R. IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS. PRINCIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO. VICTORIBVS. AC. TRIVMFATORIBVS. SEMPER. AVGG. OB. INSTAVRATOS. VRBI. AETERNAE. MVROS. PORTAS. AC. TVRRES. EGESTIS. IMMENSIS. RVDERIBVS. EX. SVGGESTIONE. V. C. ET. ILLVSTRIS. MILITIS. ET. MAGISTRI. VTRIVSQVE. MILITIAE. STILICHONIS. AD. PERPETVITATEM. NOMINIS. EORVM. SIMVLACRA. CONSTITVIT. CVRANTE. FL. MACROBIO. LONGINIANO. V. C. PRAEF. VRBIS. D. N. M. Q. EORVM.

Sed quod attinet ad chronicon Alexandrinum [1]), sane scio ita in illo legi: *Ἀρκαδίου Αὐγούστου τὸ έ καὶ Ὁνωρίου Ἀ. τὸ έ: ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἐπήρθη Θεοδόσιος νέος Αὔγουστος ἐν Κωνσταντινουπόλει εἰς τὸ ἕβδομον ἐν τῷ τριβουναλίῳ ὑπὸ Ἀρ-*

1) ed. Rader. p. 712.

καδίου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μηνὶ Αὐδυναίῳ πρὸ δ' ἰδῶν Ἰανουαρίων.

Quae relatio adhuc bona fide accepta, falsa est.

Labefactatur iam Marcellini Comitis chronico quod eodem anno — indictione XV — Theodosium docet iuniorem Caesarem esse creatum. Eundem enim esse Caesarem levatum et post paucos dies — ubi plurimum VIIII — Imperatorem nequaquam est probabile.

Accedit, quod chronicon Cuspiniani refert Theodosio Aug. et Fl. Rumorido coss. Theodosium levatum esse imperatorem Constantinopoli a. d. IIII. Idus Ianuarias.

Atque cum denique in legibus anni 402 (velut cod. Theod. lib. VII, tit. 13, lex 15 — data Ravennae a. d. VIII. Id. Dec. 402 impp. Arcadio et Honorio A. A.), non in legibus anni 403 et sequentium, inter Augustorum nomina semper Theodosii desideretur, luce est clarius nullam esse Alexandrino tribuendam fidem.

Ex quo porro sequitur, ut restaurati sint Romae muri inter finem anni 401 et initium 403.

Cum autem Alaricus iam post primos anni menses ex vicinitate Romae Aquilonem versus agmina sua abduxerit — nam aestivo tempore committitur apud Veronam pugna — quo facto supervacaneum erat innovandorum moenium opus tam amplum et prorsus vastum persequi, quod paucis mensibus non poterat confici, etiam hanc ob causam probandum videtur — nec mediocriter commendatur — pugnam Pollentinam referri ad annum 403.

Haec habui, quae proferrem, argumenta. Quae licet non omnia sint gravissima, tamen unitis viribus, ut a Prosperi desciscerem auctoritate, atque quam Baronius[1]) et Tillemont[2]) muniverunt, viam ingrederer, me quidem adduxerunt.

VII.

Expeditionis exitus non nisi a Claudiano traditur, poeta quidem eoque Stiliconis laudum praecone. Quo quid magis dubium?

---

1) Annall. eccless. (Lucae 1740) tom. VI, pag. 429 sq. (ad ann. 403, LII—LIIII).

2) Hist. des Empereurs rom. (Bruxell. 1732) not. XVI sur l'emp. Honoré pag. 75. — Etiam I. I. Scaliger Baronium sequitur: thesaur.

quid sine ira et studio minus conscriptum? Attamen aetati gratiae sunt habendae, quod quamvis iniquum unum tamen de his rebus auctorem asservaverit, qui, ut fieri res viderit, versibus eas persecutus sit.

Alaricus, quamquam peditatus eius Pollentina divictus erat pugna [1]), praeda undique correpta — inter quam traduntur vel Valentis fuisse exuviae [2]) — amissa [3]), servi et captivi in libertatem vindicati [4]), et capta quinetiam ipsius coniux aliaeque propinquae [5]), eum in modum ira et perfidi illius impetus indignatione abreptus est [6]), ut statim via relicta contra ipsam Romam intenderet iter. Quo ne progrederentur, cum impedire barbaros Stilico vel nequiret vel non auderet, tamen vestigiis eorum non relictis [7]) terrore quodam usque Gothos perterruit. Qua ratione cum ad Apenninos [8]) montes cum integro equitatu Alaricus esset delatus, taedium [9]) quoddam coepti ei exorsum est. Quo commotus atque de familia [10]) sollicitus, cum Stilicone eum in modum convenit, ut illis receptis sine ullo maleficio Italia decederet. Cui licet pacto Stilico, cum incerto proelii discrimini Italiae temere committere sortem dubitaret, haud invitus acquievisset, attamen ne tunc quidem Gothorum tergis haerere cessavit.

---

temporum (Amstelodami 1658) canonum isagogicorum lib. II, p. 172: „clades Pallentina anno 403“. — Clinton f. R. quoque conferatur.

1) Claud. de VI. cons. Hon. 284 et 285.

2) Id. d. bell. Get. 610.

3) Ibid. 610—613 et 623. 624. d. VI. Hon. cons. 130. 282. 298.

4) Id. d. bell. Get. 616 sq.

5) Id. d. VI. cons. H. 298. — d. bell. Get. 625 sq.

6) Id. in VI. cons. Hon. 292:

Ut prior iratae fuerat sententia mentis.

hist misc. XIII, p. 91: Hinc in rabiem furoris excitati coeptum iter deserentes Romam contendunt (Gothi) petere. — Jord. 30: furibundo animo arreptum iter deserunt et in Liguriam post se, unde iam transierant, revertuntur.

7) Claud. l. c. 296 sq.

8) Ibid. 285 sq. — Prudentius (in Symm. II, 668) vel ad Tusciam (?) iter eum extendisse dicit:

Tuscumque solum victo amne (Pado) premebat.

9) Claud. l. c. 291—295.

10) Ibid. 297 et 298.

Quod commodum ei, quia in intimum regnum progressus erat, praebebat, eo ita Stiliconis arte Alaricus destitutus deiecta cervice trans Padum [1]) iter remensus est. Attamen cum ad Veronam esset profectus, oppidum ex improviso opprimere tentavit, et Alpium ita claustris potitus pactis neglectis praesentes reparare casus [2]). Sed de fumo ad flammam fertur. Namque Stilico, qui Martem violata pace oblatum, quoniam Roma iam procul erat, arripere nequaquam haestiavit [3]), insidiis ab omni parte instructis [4]), quibus cunctos tolleret Gothos et ipsum caperet regem, undique barbaros aggressus est. Ipse adest, omnia ubique disponit, exemplum militibus pulverem aestivum sustinendi solisque fervorem praebet [5]). Victi [6]) sunt Gothi atque quae pactione receperant, iterum eis privati [7]). Attamen Alaricus, qui ipse, nisi Alanorum calor male festinatus [8]) et equi [9]) virtus periculo eum eripuisset, certe esset captus, non deiecit animum [10]). Occulta semita per Rhaetorum montes in Gallias evadere tentavit [11]), ubi, sicut ante triennium iam sibi proposuisse videbatur, populo suo quaereret sedes. Qua de re Stilico certior factus [12]) omnes Alpium praeclusit aditus [13]), ut Alaricus hinc ab exercitu Stiliconis et illinc Alpium praesidiis circumventus omni intercluderetur fuga et salute. Quo intellecto Alaricus, ut, quamdiu posset, se suaque contra Romanos defenderet, in collem quendam reliquas, quas habebat, collegit copias [14]). Non est malorum genus vel miseriae, quod cum in eo loco consideret, illum non exhausisse Claudianus canat [15]):

---

1) Claud. in Hon. VI. cons. 155—193.
2) Ibid. 205 sq.
3) Ibid. 210 sq.
4) Ibid. 217.
5) Ibid. 214 sq.
6) Ibid. 202.
7) Ibid. 245.
8) Ibid. 223 sq.
9) Ibid. 225 sq.
10) Ibid. 229.
11) Ibid. 230 sq.
12) Ibid. 236.
13) Ibid. 232 et 233.
14) Ibid. 238 et 239.
15) Ibid. 239—255 et 310—319.

extremam famem fuisse sustentandam, saeviisse luem, institisse hostem, in dies transfugarum crevisse numerum, militem superbum probra iactasse ducemque carpsisse insolenter, cum suis ipsum iam Alaricum bella gessisse.

In qua narratione multa auxisse poetam crediderim. Nam si ad tam exiguas reliquias Alarici redacta fuissent agmina, quid tandem commodi Stilico eorum societatem sperare potuisset sibi esse allaturam?

Ex quo extremo discrimine Stilico Alaricum vindicavit [1]. Adiutore enim eo uti voluit in propulsandis Orientis insidiis, cum eos, qui Arcadii imperium administrabant, animis in se infestis esse videret [2], atque in Illyrico occidentali Honorio armis obtinendo [3], orientali vero ad regnum Honorii adiiciendo [4]. Ita Pholoën ultus est. Quod in consilium cum Stilicone pactus Italia, quam ante biennium [5]) intraverat, egressus est. Postquam vero barbaros sub se constitutos et, qui per Dalmatiam habitabant, congregavit, ambagibus quibusdam [6]) in Epirum veterem profectus est [7]), ubi multum temporis commoratus mandata cum Stilicone composita exspectabat [8]). Cuius militiae mercedem a Stilicone eum XXXX centenaria [9]) i. e quatuor millia ponderum auri post accepisse tradit Olympiodorus [10]), atque magistrum militum esse ordinatum historia miscella [11]) et Sozomenus [12]).

---

1) Oros. VII, 37: Taceo de Alarico rege cum Gothis suis saepe victo, saepe concluso, semperque dimisso. — Claudianus tantum Alaricum evasisse refert, id quod omnium fuisse malorum finem; sed qua ratione elapsus sit, non tradit.

2) et 4) Zosim. V, 26, 2. — Cf. Rutilii itiner. II, 45:

Dumque timet (Stilico) —
Immisit Latiae barbara tela neci.

3) Olympiod. ed. bonn. p. 448: *Ἀλάριχον Στελίχων μετεκάλετο ἐπὶ τῷ φυλάξαι Ὀνωρίῳ τὸ Ἰλλυρικόν.*

5) Versus Claudiani (d. VI. c. H. 241) referendus in obsessionem ad Veronam autumnum indicat.

6) et 7) et 11) v. pag. 21 not. 2.

8) Zosim. V, 26, 1.

9) et 10) Olympiod. p. 449: *ὅτι Ἀλάριχος ἔτι ζῶντος Στελίχονος μ' κεντηνάρια μισθὸν ἔλαβε τῆς ἐκστρατείας.* Quae eadem esse arbitror atque quae Alarico auctore Stilicone decreta esse Zosim. V, 29, 14 scribit.

12) Sozom. VIIII, 4.

Gothorum vero indoles et virtus inexstincta omnes adeo superavit res adversas, ut vires populi infelici expeditione attenuatae altero regno, ut quod imperatricis et Chrysostomi aliorumve controversiis theologicis esset implexum et agitatum, non obstante, altero vel ipso clam favente, brevi reficerentur et ad novas res easque prospero usuras eventu suscipiendas redintegrarentur. —

Non magnis pugnis bellum erat diiudicatum. Nam si Veronensis pugna gravis fuisset momenti, hic illic de ea etiam apud alios scriptores praeter Claudianum occurreret notitia. Atque quanta de Pollentina discrepantia sit, supra diximus. Sed parvulis quibusdam proeliis, insidiis, artificiis demum effectum est, ut Romani superiores evaderent. Cuius successus honos Honorio obvenit[1]. At Stilico eodem quo triumphator curru vectus Urbem aeternam intravit[2]. Praeterea quo solemnius res celebrarentur gloriose ac prospere in bello gestae, ludos edidit imperator populo Romano circenses atque Gothorum cladis memoriam publica inscriptione[3] in omne aevum iussit conservari.

---

1) De triumpho Claud. d. VI. cons. Honorii 324 — fin.

2) Ibid. 578 sq.

3) Legendam praebet Mascou I, 8, 12: IMPPP. CLEMENTISSIMIS. FELICISSIMIS. TOTO. ORBE. VICTORIBVS. DDD. NNN. ARCADIO. HONORIO. THEODOSIO. AVGGG. AD. PERENNE. INDICIVM. TRIVMPHO. QVO GETARVM. NATIONEM. IN OMNE AEVOM. DOM. EXTR. ARCVM. SIMVLACRIS. EORVM. TROPAEIS. QVE. DECORA. S. P. Q. R. TOTIVS. OPERIS. SPLENDORE.

VITA.

Bertoldus Aug. Aem. Volz natus sum Rugivaldiae a. h. s. XXXVIIII d. XXX. m. Iulii patre Guilelmo, matre Ottilia e gente Reetziana, quos ambos in vivis esse maximo opere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Perceptis literarum elementis paschali a. h. s. LIII tempore gymnasium adii Coislinense directore Th. Adlero viro humanissimo et optime de me merito tunc hodieque florens. Post quadriennium maturitatis examine superato in Berolinensem me contuli universitatem Fridericam Guilelmam theologiae operam daturus. Sed post semestre ad Philosophos transscriptus per sex semestria exinde in historiae incubui studia. Disserentes per haec septem semestria audivi imprimis v. ill. et clar.: F. Benary, Boeckh, Droysen, Guhl, Hengstenberg, b. Hirsch, Koepke, Lepsius, L. Ranke, *de Raumer, b.* C. Ritter, *Trendelenburg, Werder.*

Ineunte vero a. h. s. LX hieme in patriam universitatem Gryphisvaldensem profectus lectiones frequentavi v. ill. A. Hoeferi, academicos tunc fasces tenentis. Neque vero, uti iam Berolini per quatuor semestria seminario me interesse historico a se recto v. ill. L. Ranke liberaliter concesserat, hic exercitationibus historicis et philosophicis, quae sub virorum ill. A. Schaeferi *et L. Georgii instituebantur auspiciis, defui comiter ab eis data copia.*

Quibus viris omnibus propter summa in me merita gratias habeo quam maximas, imprimis Leopoldo Rankio et Arnoldo Schaefero, quippe qui via ac ratione inquirendi in argumenta historica designatis ad certum quendam cogitationes meas ac studia direxerint finem. Quorum studiorum specimen haec sunt, quae de Vesegothis conscripsi, quibus me iam ad summos in philosophia accinxi honores capessendos.

SENTENTIAE CONTROVERSAE:

I. Asiam minorem belli Troiani tempore Assyriorum dicioni fuisse subiectam.

II. In Aristotelis hist. anim. VIII, 18 pro „Ἡσίοδος“ legendum esse „Ἡρόδοτος“.

III. Ubi Hlodoweus devicerit Alamannos (a. 496), incertum esse.

IIII. Fabulam illam, qua Paulus Diaconus hist. Lang. I, 8 originem referat nominis Langobardorum, non tam ridiculam esse quam vulgo credatur.

V. In Wiponis tetralogo v. 177 pro „rite“ legendum esse „rixe“.

VI. De Chuonradi II. electione Wiponem non ab omni parte vera docere.

VII. Verba *locare*, *construere* quin interdum *condere* in saecli imprimis XIIII diplomatis aliam prorsus significare rem atque *aedificare*.